19. V. 97.

HORTVLVS ANTONIANVS,

Odoriferis ad recreandum devotam Animam, variisq; consitus floribus.

QVEM,

In Solenni Ejusdem Sancti ANTONII *Confraternitatis Introductione,*

Pusillus Grex Fratrum Minorum Regul: Observant: in Ecclesia CONVENTVS KOBYLINENSIS,

Ad

Majorem Dei gloriam, & Patroni Honorem, cum Permissu Superiorum fundavit & excoluit.

CALISSII
Anno à Partu Virginis 1682.

SANCTISSIMO
PRÆDICATORI APOSTOLICO,
INVICTISSIMO
HÆRESVM DEBELLATORI
BEATISSIMO
MINORITANÆ OB-
SERVANTIÆ.
ANTESIGNANO,
Divo
ANTONIO
PADVANO,
Conventus Kobylinensis
ORDINIS FRATRVM MINORVM
Regularis Obſervantiæ
Conſecrat & de-
dicat.

Sileat Laudes tuas o B. ANTONI, qui te devote invocatum in Necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse Guil. Pep. Ser: de Sanct: ANTONIO.

ARBOR VITÆ.

DIVVS ANTONIVS Lisbonæ Lusitaniæ Metropoli clariore sanguine prognatus; postquam annis undecim, Ordinem S. Augustini Canonicorum Regularium vitâ & moribus illustrasset, egregiâ quinq; Minorum Fratrum apud Marochium, fidei cõfessione, ac recenti totâq; Hispania famoso martyrio. cælitùs inflammatus, quo maturius horum e-

xemplo eâdem laureâ decoraretur, ad Franciſcanum Ordinẽ ipſo Seraphico P. FRANCISCO adhuc vivente, tranſvolavit. Sed dum ardentiſſimo ac planè Apoſtolico martyrij & prædicationis ſpiritu exuberans, ad feroces ſaracenos Halingio deveheretur, non tam turbulenti Oceani quàm adverſæ valetudinis ſævitiâ retardatus, inde totius mundi ſaluti divinitùs fuit reſervatus. Tranſlatus in Æmiliam, apud eremum montis S. Pauli, cæleſtem planè ac anachoreticam vitæ rationem inſtituit. Vigilijs, jejunijs, diſciplinis, ad horrorem ſeſe excarnificans, adeò, ut dum aliquando Confratres tum ſpiritua-

ritualis, tum corporalis refe-ctionis gratiâ, ſibi convenien-di eſſent, imbellibus, ac præ-laſſitudine collabentibus ve-ſtigiis, ægrè conſiſteret. Per-petuâ fuit illi lucta; cum in-fernalibus draconibus, qui horrendis ac ſemper novis transformati ſpectris San-ctiſſimū Juvenem undiq; infe-ſtantes duriſſimis ſæpè plagis onerabant ſed hos ille invicta crucis & orationis armaturâ inclamando, Hymnum. O GLORIOSA Domina, &c. con-tinuo generoſe dejiciebat. Frequentibus dulciſſimi Je-ſuli complexibus, ejuſq; Vir-gineæ Matris dignatus aſpe-ctibus cæleſtes quaſi delicias, in hac carne jugiter deguſta-

bat. Inter confratres nemo illo modeſtior, nemo humilior, quæq́; munia nemo obibat promptior, quo circa factum, ſcientiæ, aut excellentioris literaturæ, adeptus opinionem. Aliquando tandem in ſui & alterius Ordinis conſeſſu Fratrum, à Præſide quodam ad cohortationem ſubitò depromendam, fortiter impulſus, tantâ ſenſim verborum copiâ, & ſententiarum maieſtate aures audientium erexit, tantâ ſpiritualium dotum affluentiâ animos audientium inebriavit, ut eoſdem ſtupendâ admiratione ſuſpenderet. Exinde muneris Apoſtolici, ac prædicationis ſarcinâ à ſuis præpoſi-

positis opportunè gravatus incredibile est, quanto ardore, Seraphica hæc Evangelij tuba, Vastissimis Italiæ, Galliæ, Hispániæ, Regionibus personarit, nulla Civitas, nullum oppidum, ac nullus penè vicus, vehementissimos ejus clangores non audivit. Vndè ad ejus conciones, tanta populi vis confluebat; ut in latissima camporum planitie erectis suggestis, triginta non raro Auditorum millia accurrerint, qui omnes tanta aviditate tanto silentio assistebant, ut nulla vox nullus strepitus, dicentem interpellaret. Quin quod aliquãdo displosis undequaque nubibus, omnes ad Sancti Viri jussa per-

ſiſtentes, inter effuſos copiosè imbres ita contecti fuerint, ut nemo vel leviſſima gutta immaduerit licet teſte Piſano, grādo & pluvia inſtar muri, in Auditores, abjverit. In Romano Conſiſtorio coram diverſis etiam Græcarum Nationū Populis, Italico perorans Idiomatè, ſingulis audientium nativâ lingva, ſuarum Gentium, loqui audiebatur ubi & GREGORIVS IX. arcam teſtamenti ac ſcripturarum armariū eum appellavit. Iam verò quot deplorata peccatorum corda ad frugem reduxerit, quot inveterata inimicorum odia, & furores diſcuſſerit, quot etiam ſectarios vehementiſſimis non tam argumen-

mentis, quam prodigiis ad e-
vomenda toxica inflexerit,
quis eloquetur? omnis quan-
tacunque humana lingua sit
hic conticescet Præviso tan-
dem obitûs sui die cum duo-
bus sociis solitudinem repetit
e quâ jubente Deo Paduam
rediens ac in eandem deveni-
ens, animam purissimam Cæ-
lo transmisit Ibidem in Au-
gustissima Basilica FF. Mino-
rum tumulatus. Transitus e-
jus dum à Fratribus occulta-
tur, à parvulis tota Vrbe pro-
palatur. Translatus est labo-
riosis meritis gravatus, non
diebus ætatis 36. 1231. Eodem-
que Fastis sanctorum canoni-
cè insertus Corpore sacro in
pulveres resoluto, lingua ad-

huc viret & rubicunda vivit. Miracula quæ Deus ipſo vivente, ac mortuo, uſq; in hodiernum operatur ampliſſimis Tabulis nemo conſignabit. Ex Piſano, Rudolphoſedulio & alijs.

Ratio Inſtitutæ Novennæ.

CAndide Aſceta, abſque dubio expertus noſti, quãtum Glorioſiſſimus Thaumaturgus ANTONIVS Paduanus, miſeris omnibus & afflictis, tutorem ſeſe quotidie præbet, quàm placidè ſinguli ſpeciatim res amiſſas deplorantes. ſub ejus indubitati auxilij aſyllo reſpirent. Vndè non ita pridem miſeris clientulis

tulis ſuis novo ac commodiore cælitus medio providere dignatus eſt, quo, longè certiore, de eminentiore modo in variis corporis, & animæ preſſuris, ſuo levarentur præſidio, quod eſt ſingularis ac devota per novem ſubſequẽtes ferias Tertias, in quacunque Franciſcani Ordinis Ecclesia, Altaris, ac hujus S. Imaginis veneratio, quæ quidem 1617. Bononiæ, in Italia ortum duxit, illuſtriſſimo hoc miraculo. Caj Nobilis, ac Divo ANTONIO multum devota Matrona, viginti & pluribus annis ſterilitatẽ perpeſſa, dum aſſiduis pro fæcunditate precibus S. Virum ingenti fiducia pulſaret, aliquã-

do

do his verbis in tempesta no-
cte, ab eodem lenita est. I-
MAGINEM MEAM, in Ecclesia S.
PATRIS FRANCISCI 9. diebus
Martis devotè visitans vene-
rare sic petita obtinebis. Pia
mulier parēdo concepit (ach
pro scelus) zelosus Mari-
tus uxorem gravidam, velut
nefariam suspicatus, ac perju-
ram ejecit, quæ partui appro-
pinquans, non infantem, sed
fœdam potiùs corporis mas-
sam in præmium flagitiosi
Mariti enixa est. quam nihil-
ominus attollens mirabili ac
planè indubiâ fide, in Divum
ANTONIVM fundata ma-
ter, ejus Aræ imposuit, inde-
ferventissimis aliquamdiu in-
tenta precibus, videt mox in
Ara

Ara ipsa perfectissimum ac speciosissimum vagientẽ puerulum, quem domum lætabunda bajulans, primo amplissimam Vrbem, mox totam Italiam imò Christianum fere orbem miraculo implevit. Cujus exemplo, usque in hodiernum hac Novennæ devotio, quæ ad Novem Angelorum choros à S. Viro ordinata fuisse videtur, in Franciscanis Ecclesiis florentissima viget: Tanto quidem animarum quocunq; modo afflictarum solatio, ut ipsam ditissimam, cælestium opum aurifodinam appellare non dubitent, e qua nemo Dei gratiam, meritis S. ANTONII in veritate, & sinceri cordis justitia

ſtitia quærens non beatus exivit.

Teſtes hic recenſere ſupervacuum eſt tot exhibita ſuffragia, tot obtenta vota occulatos & luculētiſſimos, quidni etiam magnates exhibebit.

Quicunq; interim ingenti hoc Theſauro locupletari deſiderat, paucula obſervabit.

1. Ad ſervandam Novennam iuxta apparitionem, & dicta S. ANTONII neceſſe eſſe, ut in Eccleſia S. FRANCISCI viſitetur Altare & in ſua imagine piè colatur.

2. Abſolute non eſſe opus, ut quis Nonies communicet conſequenter, cum S. id non juſſerit hinc ſatis erit, ſi aliquoties, ſub initium, & finem

id

id præſtetur : conſuetudo tamen laudabilis jam prævaluit.

3. Si quis nollet aliquando die Martis, durante Novennâ communicare, adminus aſſiſtat ſacrificio & Deo offerat cum Sacerdote, aut curet Sacrum in honorem S. ANTONII.

4. Si majora feſta concurrant, cum die Martis poteris conſulto bis, ter, communicare, conſequenter, aut diem Martis tranſire, dummodo reliqua peragantur.

5. Durante Novenna ſolitò frequentiùs ſtudebis chriſtianæ perfectioni, pravas vias deſerendo, ut ſemper coneris eſſe in gratia, tum per bre-

brevia doloris & amoris jacula, tum maximè per crebram confessionem.

6. Ne sis negligens in prosequendo, aut sæpiùs interrumpas cæptam devotionem, sed ferventer ad finem eam prosequi allabores.

7. Si absolutâ Novennâ statim postulata, Deo volente non obtinebis, noli diffidere Patrocinio S. ANTONII, sed scias & credas firmiter illum omnia diligenter assignata tibi reservare.

8. Ut in omnibus necessitatibus citiùs subleveris, stude esse familiaris Cliens S. ANTONII, quod fiet si pro aliquo, & quotidiano exercitio, lectione ejus vitæ, aut offi-

cij,

cij, mortificatione eleemosinâ, abstinentiâ eundem venereris, ejus effigiem benedictam, benedictum numisma, tecum gestes, plurimum erit, si te cures inseri ejus confraternitati.

***

In omni bono opere, ordire à Sanctiſſima Trinitate, quia ipſa eſt corona SS. Omnium, principium & finis primæ omnis gratiæ radix & origo.

Ad Deum Patrem.

O Pater cæleſtis æternæ DEVS, qui in omnibus Sanctis tuis es mirabilis, ſupra modum in Magno tuo Servo S. ANTONIO Paduano; hic eſt vere ſplendor tuæ potentiæ, in quo tot ac tantis prodigiis eluceſcis: hic eſt tuus ille dilectus, cujus interceſſione

one tot desolati tuam clementiam experiuntur, quâ nemo justa ac pia rogans unquam frustratus fuit. Rogo te o Summe DEVS, ejus meritis in summis angustiis paternam manum mihi porrige, ejus amore, dona misericordiæ tuæ viscera subire: Audi Domine pro me orantem Sanctum quem præ reliquis elegi Patronum, cum ipso tuis pedibus advolvi non timeo, qui solus venire erubesco. Recordare Domine, quanto labore & sudore majorem Nominis tui gloriam, ubiq; propagare studuerit, ejusque Clientis miserere, Amen.

Ad Dei Filium.

O Chriſte JESV Salvator Mundi, qui licet Maximus DEVS, ſub ſpecie tamen ſuaviſſimi puelli, tuum ANTONIVM olim inviſere, amplexibus inhærere, & cæleſtibus deliciis perfundere dignatus es, non dubito, quin tunc ejdem ampliſſimo promiſſo dixeris, o mi ANTONI quidquid unquam à me petieris mox obtinebis, ecce Bone JESV petit pro me ANTONIVS & ego per ipſum humillimè, ut ex ſuperabundante illo vitæ virtutis & gratiæ tuæ fonte, aridæ animæ meæ modici rivuli promanent, qui omnem terrenarum rerum ſitim in ipſa reſtin-

restinguant, quibus, omnes carnis, tẽtationum, omniumque malorum temperem ardores. Recordare Optime JESV quanto fervore, quanta propagine fidem tuam dilataverit ANTONIVS, ut etiam si voluisses proprio Sanguine pro ea purpurari desideravit, ejus amore miserere mei, Amen.

Ad Spiritum Sanctum.

O Sancte Spiritus flamma amoris immensi, qui linguis igneis Beatissimam MARIAM & SS. Apostolos succendisti, eodem igne Sanctum ANTONIVM inflammasti, quando amore Apostolico per unicum Idioma, diversas Nati-

Nationes erudivit, cujus lingua usq; hodie rubicunda, & velut ignita apparet. Quæ ad te tuaq; septena dona desideranda, tot hominum corda excitavit, quæ tua sacratissima dogmata tot gentibus dispensavit, in qua, tua virtus quotidie ardescit En loquitur pro me indigno Famulo, Majestatem tuam rogans, ut igne tuo uras renes & cor meum ibi foveas frigida, flectas arida, veni o dulcis hospes ANTONI, lingua inflammata rogat, veni optime o consolator Amen.

Ad B. Virginem, quæ est plena gratiæ.

AVe MARIA, Dei Mater & Virgo gloriosissima Angelo-

gelorum Domina, Augustissima Cælorum Regina, quæ B. ANTONIO devotissimo tuo famulo, in omnibus laboribus periculis & anxietatibus singulari præsidio semper præstitisti, præsertim dū à dæmone fermè præfocatus, hymnum tuum O Gloriosa Domina ingeminaret, hostiles insultus clarissima voce tua subitò collisisti, en ipso S. Viro ductore, ad te o Immaculata Virgo festino, suppliciter rogans, ut in tantis humanæ vitæ casibus, carnis & dæmonis incursibus, sis mihi dulcissima Mater, misericordiæ, gratiæ, & veniæ; rogo te per mæstissimi & tot gladiis transverberati cordis tui effigiem, quam ab

ab unigeniti tui paſſione uſq;
ad mortem geſtaſti & ANTO-
NIO tuo oſtendiſſe diceris, e-
ſto, ſemper o pia Virgo mihi,
qui ipſam cordis tui figuram
devotiſſimâ compaſſione ve-
neror & amplector; o ſpes
mea MARIA! digneris me tu-
um famulum S. ANTONII cli-
entem, nunc & ſemper in no-
viſſima hora, dum ad te de-
vote ſuſpiravero á Diaboli
faucibus eripere. Veni tunc
o MARIA cum Patrono, &
deſolatum recrea, deficien-
tem robora, ubi egreſſa fuerit
anima, eam ad cæleſtem
Patriam tranſporta,
Amen.

ORATIO

quâ

Pia Anima ſeſe mancipat

S. ANTONIO.

O Dulciſſime ANTONI! o verum divinæ gratiæ ſpiraculum! ad quod, toties languidi, & depreſſi, vehementer ſuſpirant, in quo, omnes tuo patrocinio confidentes, placidiſſime reſpirant. Vide o Magne Pater! quanta confidentiâ, quanto ardore, ſub tuas alas confugiam, ut æternùm congaudeam tecũ. Sed ach! in tantis humanæ vitæ fluctibus, per tot miſeriarũ avia, devia, lubrica & aſpera, ſpiritu planè deficiens

ad

ad te gemebundus anhelo; quidquid adhuc ſpiritus, roboris & virium cordi inhæret, tibi o dulce reſpirium! libens aſpiro ut tu, me in omnibus periculis cuſtodias, in dubiis in preſſuris confortes, in caſibus erigas, & maximè in ultima vitæ linea, in ſupremo ſpiritu protegas.

Vt vero ſecuriùs ſingula hæc expectem, & felicius te patrocinante conſequar, nũc in conſpectu Dei Optimi Maximi, ſupremi Iudicis, glorioſiſſima Virgine MARIA, S. Angelo Cuſtode, cæteris Patronis N. N. & tota Cæli curia teſtantibus, & fide jubentibus, eligo te, & quotidie imò omni momento reeligo,

in meum ſingularem Patronum, ſedulum advocatum, cariſſimum Patrem, viæ ac vitæ ducem; & quantum mihi Majeſtas Divina concedit, offero, reſigno, conſecro me tibi & mea, corporis & animæ vires & opera, voluntates & intelligentias, in æviternum pignus, in ſpeciale fidei commiſſum, pro arrha ſpondeo & quaſi voveo, aſſidua honoris & amoris obſequia à me & meis tibi exhibenda.

Suſcipe me ergo nunc, o ANTONI chare Patrone! in tuum ſervulum, in clientem, & filium, qui te elegi in Patrem æternum. Sit inter nos vinculum amoris, paratum ſit mihi

mihi tuum Patrocinium, ut ſentiam exhibitum ſuffragium. O Pater optime, aſſiſte mihi nunc & ſemper, ſuper omnia in agone mortis. Fuga tunc malos, & da locum Angelis bonis: exhibe tunc munus veri amici & Patroni. Fac hoc quod ego tibi, ſi in tua, & tu in mea, ſorte ſtares præſtare vellem; ita abſq; dubio in JESV & MARIÆ & tuis brachiis & ſuſpiriis expirabo, Amen.

Votum Inſtituendæ Novennæ.

SAlve glorioſiſſime ANTONI Paduane, tutiſſimum miſerorum præſidium; quot à te conſolatione, quot cæle-

ſtibus muneribus donati recedunt, quando divinam miſericordiam, per tua implorant merita? ego quoq; tali animatus fiducia, quo certiùs ſuperno fruar auxilio, promitto, ac firmiter propono me pro hac N. Si Deo placuerit neceſſitate ſublevanda, ad ampliorem ejus gloriam, tui vero cultum ac venerationem, in honorem Novem Ordinum Angelorum, tuam Sanctiſſimam aram & effigiem, prout ipſemet inſtituiſti, per novem conſequentes Ferias tertias devote viſitaturum ac veneraturum. Inſuper pro ſuperiore gratia & ſubſidio, Sacroſancto ibidem miſſæ ſacrificio reverenter aſ-
ſiſtam

ſiſtam & quantum divina ope valvero, Sacratiſſimo JESV Chriſti corpore & ſanguine, præmiſſâ ſalutari ac debitâ peccatorum expurgatione reficiar. Et nunc tanquam indigniſſimus Cliens, Dei B. V. MARIÆ, tuo ac Omnium Sanctorum auxilio confidens, humillime rogo te, ut ſicut ego nunc hæc ſingula, poſſibili & quantumvaleo dignâ pietate, perficere efficaciter intendo, ita tu quoq; hos meos conatus, placido ac ſereno vultu ſuſcipere, ac Deo ſupremo fideliter præſentare digneris, quatenus ſic ſuſceptum, ſalubriter inchoare, conſtanter proſequi, & tandem inexhauſto divinarum gratiarum

fonte inebriatus, tuo quoq; indubitato patrocinio beatus, feliciter coronare merear, Amen.

Pridie Diei S. Communionis post frugalem cænam, & longiores preces, citius incumbendum, ut maturius ad Dei laudes consurgere, & opera nostra feliciùs exequi possimus, juxta illud: Qui mane vigilant ad me, invenient me Proverb: 8. Hinc invitamur à Sponso Cælesti, dicente, mane surgamus ad (Domini) vineas Cant: 7.

ORATIO MATVTINA.
Tempore Novennæ.

O Antoni fidelissime Advocate, amabilissime Pater. Filiali fiduciâ clientis affectus saluto te, ac diei hujus

jus primitias Deo & tibi offerens, ejus gloriam tuiq; venerationem à cunctis hominibus undequaq; propagari unice desidero. Vtinam tot errantes oviculæ ad agnitionem hodie devenirent, quot tuis conatibus devenerunt, utinam hodie & semper Deus noster ita coleretur, quemadmodum tu ipsum coluisti, & ab infinitis coli laborasti, in hujus præmium, ac singulare cordis tui iubilum, offero ac dono tibi pretiosissimum ac deliciosissimum cor JESV, unâ cum eminentissimis suis gratiis ac prærogativis, quod in dextera tua collocatum arctissimo tibi vinculo acglutinabis, in sinistra autem tua,

confidenter repono omnia quæ hac & omni die, à me quocunq; modo procedent, ſanctiora opera, ut illa pro gratiæ cæleſtis fænore, quaſi oppignorata ſuaviſſimo Jeſulo repræſentes. Ille me inſolutum nequaqam dimittet, ſed ex inſcrutabili tot gratiarum ærario, egenum, amore tui remunerabit. Per ipſum Virginis Filium & omnia quæ tibi exhibuit beneficia, rogo te o Pater dulciſſime! fac, ut hodie ſtatui meo convenienter ambulem in via mandatorum Dei, fac ut in omnibus actionibus meis ſerio cogitem, me ſtare in ejus, & in omnium Sanctorum conſpectu, fac ut omnes meos tam

ſub-

ſubditos, quam æquales, verbo & exemplo, omnes mihi commiſſos, munera & onera, ita dirigam & ſupportem, hanc virtutem N. exerceam, hoc vitium N. ſpecialiter devitem, hoc opus N. ut digne exequar, tu mihi procura auxilium, quo omnia tam feliciter perficiam, ut ſolius Dei honor mea & proximi ſalus inde proveniſſe videantur. Vivam ergo hac luce Deo & tibi, ejus gratiâ tuo patrocinio innixus, pij ac probi Chriſtiani munia exequendo quoſcunq; graviores lapſus devitabo, Amen.

Dum templum ingrederis, cogita te, cum Chriſto intrare, in quo orans ſanguinem ſudavit, en ſuaviter te invitat Veni.

Veni. in hortum meum soror mea, Sponsa, Cant 5. deinde dic in genua provolutus.

SAluto te o Sanctissima ac indivisa Trinitas! adoro te o Incarnatū Verbum, in Sacrosancta Eucharistia, veneror te o Immaculata Virgo MARIA Dei Parens! laudo te o magnum cæli luminare ANTONI Paduane! Salvete omnes cælestis Aulæ Proceres! Salvete vos illibatæ, ac Virgineæ Nymphæ, præsertim quorum cultui hoc templum cōsecratum est, vestras sanctissimas in illo reconditas Reliquias devotissime exosculor, ope vestra nunc mihi assistite quæso, ut summum Deum meum voce ac corde rite adorem.

ORA-

ORATIO.

O Summe cælorum ac mundi Creator, in cordis humilitate ego novissima creatura tua, coram invisibili tua facie compareo, & quem in essentia sua pro nunc videre non possum, firmissima tamen fide, toto cordis affectu intensis animi viribus, omni quo possum fortiori ardore laudo, veneror, adoro, O utinam te eo modo glorificare possem, quo id nunc, & in omne ævum facit cælestis Angelorum, & omnium Sanctorum militia, o utinam te eâ devotione exorare, valerem, quâ id unquam fecerunt & nunc faciunt tot Sanctissimæ Servorum tuorum animæ,

mæ, exiles meas & imbecilles preculas, unio illis, quibus dilectus Vnigenitus tuus te hic in terris maximè in laboriosissima passione sua perfectissimè placavit & nunc placat, in æterna gloria per ejus dulcissimum cor omnia vota mea & suspiria, per melitissima labia, singulas meas voces ad te transmitto, ut in ejus nomine me benignissimè exaudire & juvare digneris, Amen.

O Magne Pater, en omnia opera mea omnes potentias, animiq; facultates, tibi in suavissimum holocaustum immolo, Tu illas tibi inseparabiliter cõjunge & nunc singula-

ſingulariter affectum meum inflamma, evagationes conſtringe, ut in vera devotione hoc tibi munus offerre poſſim, ita ſpero fiet, ut quemadmodum Chriſti JESV Filij tui, ac omnium piorum orationes excipis, itaquoque in his meas excipere digneris & miſericordiæ tuæ viſcera penetrare patiaris, Amen.

Ad S. Antonij Aram.

O Gloria Eccleſia, ANTONI ſanctiſſime vera civitas refugij, in qua omnes afflicti omnes miſericordiam conquirentes certo ſalvãtur. Scio qualiter prodigioſâ ipſã & revelatione, quandam te fideliter invocantem animam

ad

ad tuam Aram destinaveris, cum amplissima fidei jussione postquam ibidem, suas preces, devota exercitia, & tui venerationem per tot dies cõtinuaverit, suæ pietatis ubertimo fructu minime defraudandam.

Hinc tuis indubitatis promissis excitatus, & ego maximus peccator, minimus servulus ingenti hodie fiducia & fide armatus 1. &. 2. & 3. vice humili reverentia, & reverenti humilitate, hanc sanctissimam Aram nomini tuo dicatam veneror, profundissimeq; te ipsum in tua effigie castissime exosculor. Recordare vir inclite, quo te honore, dignata sit Sancta Mater Eccle-

Ecclesia, quod, in tibi nuncupato Altarii, ineffabilia Incarnationis mysteria quotidie non semel renovet. O quis eloquetur illas delicias! quis laudes comprehendet? quæ tibi inde accrescunt, quando in excellentissimo illo Sacrificio, Christus Deus homo, ipsemet transnaturaliter adductus in manibus Sacerdotis rursus quasi Incarnatur, ac pro mūdi totius salute incruente, æterno Patri immolatur & manducatur; qua oblatione, ut pote in tua ara consummatâ, decus peculiare tibi sēper exhibetur.

Hujus ergo eximij honoris te confidenter admoneo, simul & obligationis, quâ à no-

stra

ſtra Matre Eccleſia in hujus aræ conſecratione obſtrictus fuiſti, quando tam ferventibus orationibus, tam frequẽtibus orationibus, tam frequentibus ſuſpiriis, ſupplex obteſtata eſt, ut omnium huc confugientium, tuamq́; opem implorantium, preces beniguiſſimo tuo ſinu excipere, divinæq́ue majeſtati, gratioſe præſentare, non graveris.

Et venio, feſtino, imò convolo, pro hac mea N. miſeria, ad tuum ſacratiſſimum & vere privilegiatum Altare, in id fiducialiter orationes meas, licet exiles profundo. Hic eſt verus gratiarum theſaurus hic inexhauſta ſolatiorum aurifodina, quam omnes afflictos

ctos veſtigare feciſti, hic celeberrimus adiutorij thronus, equo manat levamē afflictis, jactatis requies, imbellibus robur, errantibus ſecuritas, æqua petentibus certa ſalus. Jure igitur, animosâ fide Dei clementiam per hunc imploro, jure ad hanc ſubſidij arcem confugio.

O Magne ANTONI, alme Interceſſor, maxime Patrone, auxilium & conſilium à te conquiro, indignas indigniſſimi clientis voces deſpicere noli, mitiſſima cordis tui pietas, longe benignius ſuadet, nimirum ut plorantem ſoleris, vacillantem robores, fugientem recipias, labentem ſubleves.

O Pi-

O Piissime Pater divinâ gratiâ me nunquam carere, & postulatis, ni Dei voluntati adversentur, semper gaudere dona, animam meã, & corpus cum omnibus viribus tibi commisi obtuli & consecravi, tu singula benigne fove & guberna, Amen.

Cultus S. P. ANTONII in sua Imagine.

SAlve S. ANTONI niveum puritatis lilium, salve decor & gloria nostri Carmeli JESV Christi Ecclesiæ. Ave ANTONI in visione beata celsissime Cherubin, in amore flagrantissimè Seraphin, saluto te prono affectu, veneror prostrato corde, gaudeo de omni-

omnibus tuis prærogativis, quibus à Deo donatus reliquis præluces. Reſpice ſuaviſſime Pater, flexis animo & genibus, te in tua effigie ſupplex veneror, memineris promiſſi tui, quo tot deſolatos, ad hanc, fiduciali deſiderio toties convolantes, de tuo præſidio & auxilio ſecuros reddidiſti, novi optime neminem ferè hactenùs ſuâ ſpe, tuâ ope defraudatum ab hac receſſiſſe.

En ergo magnâ fiduciâ advenio, maiore affectu miſerias meas coram te repono, lachrymantes quidem oculos ad tuam Sereniſſimam Imaginem: cor autem ad te in cælos elevo, ach utinam me tan-

tâ benignitate reſpiceres, quanta ego pietate ad te hic ſuſpiro. Conteſtor nunc te per amorem dulciſſimi JESU, quem tuis brachiis conſtringis, ipſius ſanctiſſimo gremio querelas meas infunde, in quo eſt fons vitæ & gratiæ.

O quam pronus mihi erit ad auxilium, dum modo minimo ſigno, à te ſuo familiariſſimo impulſus fuerit. Poſtquam enim Virginea tua brachia, pro throno habere dignatus eſt, poſtquam tibi in hac vita tanto ardore conjunctus fuit, ut præter multas & illuſtres apparitiones, ſuaviſſimos etiam non raro amplexus à te pati volverit, cum ſimul nunc fulgeatis in gloria,

non dubito quin excellentiore honore, amore & favore tibi afficiatur, ita ut nullum, te interveniente indonatum reijciat. Ipſemet parvulus JESVS, maximus Deus, nobis miſeris oſtendit, quam potenter tu eum adhuc flectere vales, dum non ſatis erat, quod olim dum viveres in carne tuis brachiis inhæſerit, ſed inſuper quotidie in devotiſſima tua effigie, ita ſeſe omnibus gratioſiſſimè repræſentari jubet, ut inter JESVM & ANTONIVM, inſeparabile perpetuæ charitatis conjugium eluceſcat.

Salve ergo melliflue JESV, ſalve lactiflue ANTONI! adoro te o candide JESV! ſupplico

tibi o unicę ANTONI, tuo mellitissimo puello, unico nostro solatio, me, cum omnibus votis meis fiducialissime commenda, ab ipso per te velox expecto adjutorium, quod sine te non statim invenirem; ostende quam ardenter tu eũ ames, quam ipse te honoret, per illud cæli & terræ gaudium, per omnes quas olim in terris, & nunc in æternum ab ipso hauris delicias, rogo intercedas pro me, ut cælestibus rivulis ego sterilis fæcunder, divini amoris & pietatis igne tepidus imflammer, per omnes miserias hujus vitæ, securè ad vos perveniam, ut amantissimum JESVM jugi tecum ardore tandem intuear,

in veritate, qui tanta nunc reverentia id facio in figura, Amen.

Ad Sanctam Confessionem.

PEr concionem Sancti ANTONII, adeo quidam compunctus fuit, ut dum paulò post, in confessione S. viro peccata sua detegere vellet, præ singultibus & suspiriis, ne unicum verbum proferre valeret; jussit Sanctus, ut mox in charta exarata peccata sibi ferret, quo facto dum schedulam Viro Dei porrigeret, videt in ipsa omnem scripturam abolitam, omnia peccata ita deleta, ac si in ea nihil unquam conscriptum fuisset

(à) ex omni anima ita deradentur meritis S. ANTONII, si viri istius exemplo, cum verò dolore confessario aperiantur, nam ex Divo Thoma Angelico Doctore, confessio debet esse integra, Nuda, Humilis, Simplex, Lacrymosa, Fidelis, Accusans, secreta frequens, parere parata

Ex quibus collectis paratur Asceticæ Animæ amarus quidē, tamen perquam salubris (à) Barth. Pisan. lib. 1. Confor. fr. 8.

Fasciculus myrrhæ Cant, Cap 1. V. 13.

O Æternæ Deus, Domine & Creator meus, festino ad pænitentiæ lavacrum, in

in quo promiſiſti animas noſtras ſuper nivem dealbandas, ſed quomodo ego peccator obſtinatiſſimus, in conſpectu tuo comparebo, qui te infinitum bonum tot peccatis offendi? quomodo gratiam poſtulare audebo? quam toties repudiavi, quomodo te rurſus inveniam quem ſæpius abjeci. Propoſui quidem ante hac, omnia peccata earumq; occaſiones ſollicitè devitare, ſed eheu? ſtatim hujus oblitus, in veteres, imò & longè fœdiores ſentinas relapſus sū. Tam irreparabilia creationis, conſervationis, Redemptionis beneficia, à te obtinui, & ſingulis horis, imò momentis obtineo, & ego ingratiſſimus

nihil nisi offensas gravissimas repēdo? tuam imaginem Vnigeniti tui, pretiosissimum sanguinem, tua sacramenta, ita miserrimus profanare, cōculcare & dehonorare non desisto? quid mecum fiet? quid faciam Domine? quot animarum millia forsan ardent in inferno, quæ minus quam ego peccaverunt? & mihi adhuc parcis. Insuper semper post me clamas, revertere anima mea recipiam te, tam diu expectas, ut salves me, non vis mortem meam & interitum, sed æternam vitam, o charitas inexhausta? quam durum, quam triste mihi est, quod te unquam offenderim, quis mihi succurret? quis me reci-

recipiet nisi tu o Pater misericordiarum, tu potes longe plus dimittere, quam ego peccare, tua clementia longe excedit omnes mundi malitias. Ad te igitur venio, ad te dolens gemens recurro, veniam delictorum humillime rogãs. Pater ignosce secundum magnitudinem misericordiæ tuæ nulla tentatio, nulla occasio, me amplius à tui amore divellet, per Unigeniti tui passionem & mortem, per merita B. V. MARIÆ S. ANTONII & omnium Sanctorum, ignosce Pater protector Rex meus, & Deus consolationis.

* *

ORATIO
Ad S. Antonium.

O Magne Cælorum princeps S. ANTONI, præsentissimum lapsorum, & pœnitentium brachium, plena sunt ampla sæculorum volumina, quam potenter olim ignitis verborum jaculis peccatorum corda penetrâris, quot centena millia, efficacibus monitis, ad animosè surgendum, ac firmiter standum deduxeris. Nunc ego gravissimus peccator, amore Dei, honore tui, per sacramentalē debitam & plenam confessionem, ab omnibus delictis meis exurgere intendo, ardenti desi-

desiderio, verâ fide, abundantem gratiam à Deo expectans.

Sed ad hoc magnum Sacramentum dignè obeũdum, opus, in quo salus æterna versatur, rite peragendum, heu! me parem solum non invenio: singulis quidem diebus imò horis, in multa & varia crimina præceps dilabor. Sed præstigiator infernalis, ita intellectum continuò obnubilat, ut singulorum malitiam videre nequeam, quam etsi miser advertam, in vero tamen lacrymoso dolore, cum stabili nõ relabendi proposito, aridus deficio.

Ad te ergo mitissime ANTONI ego antea peccator, nũc

pœnitùs, humiliato corde provolutus, clementiæ tuæ viscera imis medullis imploro, ut efficax divinæ gratiæ auxilium, indigno concilies, quo peccatorum gravitatē agnoscam, summo dolore detester, & plenè coram judice deponam. Obtestor te charissime Pater per excellentissimum illud tuum desideriū, lapsos erigendi, ut quoq; cor meum ad dignam contritionem excites, rogo te per copiosas tuas pro peccatoribus fusas lacrhymas, per durissima illa, quæ pro ijsdem suscepisti pænitentiæ onera, Dei misericordia clientem tuum digneris per ipsam crucem, passionem, & mortem salvatoris

toris mei JESV Christi, per singulas effusi cruoris pretiosissimi guttulas, te deprecor, ut ejusdem adjutorio, pro ampliore Dei gloria, tui honore, mei salute præsens Sacramētum, plenam omnium peccatorum remissionem in me operetur, Amen.

ORATIO

Pro vero Dolore.

O JESV benignissime, de omnibus & singulis notis, & ignotis meis peccatis, ex intimo corde doleo, ideo præcisè, quia te Deum meum, Summum, Bonum, optimum, & maximum, omnis misericordiæ fontèm, amabilissimū Patrem gravissimè offendi,

qui adeò dilexisti me, ut sanguinem tuum infiniti pretij, vitam ipsam inexhausti valoris, per crucem & durissimã mortem pro me inutili põdere profuderis. O utinam Deus meus, te nunquam offendissem! utinam tibi totâ vitâ meâ ita servivissem, sicut id fecit tua Mater Virginum Virgo, tuus charissimus Antonius, utinâm te ita semper amâssem, & meũ proximum. Doleo iterum, quod tam remissus in hoc fuerim, post hac pro virili conabor, amo & amabo te o infinita bonitas, super omne amabile, remitto tui amore omnes injurias, quibus à proximo fui offensus, ignosce etiam mitissime

Deus,

Deus, clementissime Pater mihi ignoscenti, en omnes offensas, amaritudine cordis mei, tuo sacerdoti aperiam, paratus omnino satisfacere, proponens firmiter in posterum relapsus omnes, maxime hos N, N. præcavere, o JESV dulcissime da mihi tuam gratiam, Amen.

N. B. Peccatum quòd pænitentiâ non deletur, mox suo pondere ad aliud trahet inquit S. Gregorius.

Sequere ergo pænitentem Davidem, dicendo Psalmum 50. *Miserere*, vel *De profundis* 129 *Cum Filio prodigo Luc*: 15. *Pater peccavi in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari Filius tuus, fac me sicut*

cut unum de Mercenariis tuis.
Cum Chananea Math : 15. *Miserere mei Domine, Fily David, anima mea male à dæmonio vexatur, Domine si vis, potes me mundare, aio quæso, volo mundare & ero totus mundus.*

Cum Sancto Patre Francisco, *O Domine IESV Christe Fily DEI vivi: miserere mei peccatoris.*

O Domine hic sto ante te, tanquam mendicus ante divitem, petens ut divitias gratiæ pro modulo participare velis.

O Domine, hic sto ante te, tanquam servus ante Domitem, petens cibum & potum Corporis & Sanguinis tui, & vestem charitatis, quæ cooperit multitudinē peccatorum.

O Do-

O Domine hic ſto ante te, ut reus ante Judicem terribilem, petens ut mihi Judex pius eſſe velis, nunc, & quando ſeparabiliter dividetur anima mea à corpore.

O Domine hic ſto ante te, ut amicus ante amicum, petens ut eximia charitas trahat me in te, & non permittat me ſeparari à te.

O Domine hic ſto ante te, tanquam filius ante Patrem, petens ut paternam hæreditatem, mihi finaliter nolis denegare.

STIMVLI
Ad sinceram Confessionem.

I.

FInis ejus eminentissimus est, remissio scilicet culpæ & pænæ, quod nulla pura creatura præstare potest.

2 Est expeditissimum medium, citò perveniendi ad Christianam perfectionem, quando anima remotis obstaculis, tentationum, motus viriliùs repellit.

3. Est unicum lapsæ animæ solatium, quo conscientia serenatur, pax, gaudium, charitas, & filialis fiducia eriguntur, Horror mortis & Judicij minuitur, in hac vita.

Con-

4. Confer immensum gratiæ & gloriæ pondus, eo quidem majus, quo melior dispositio adhibetur.

5. Praxis ejusdem quâ peccata breviter clarè & ordinatè exprimuntur, non tam ardua uti multis apparet, sed facilis quâ hodie tot Viri Pij & Religiosi, in eximio gradu utuntur,

Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni Apoc. 22.

AFFECTVS

Sub ipsa absolutione.

O DEVS meus, o omne bonũ, doleo purè, quod unquam offenderim te infinito honore, amore, & obsequio dignissimum.

O De-

O Deus propitius esto mihi peccatori misero, en nunc paratum cor meum, ad omne beneplacitum tuum in tempore & æternitate, non permittas me separari à te, Sim totus tuus, & meus in æternum.

Post Confessionem.

ECce Domine JESV, amor meus & gaudium cordis mei, omnia & singula peccata mihi cognita, omni meliori modo, Confessario Vicario inquam tuo aperui. Recipe me nunc, o Infinite Bone JESV, cum Magdalena in dilectum, cum Petro in Filium, cum Thoma in fidelem. Spero jam & omnino confido, illa ita

ſa ita ex anima mea deterſa eſſe, & in tuo roſeo cruore eluta, ut candidiſſima innocentiæ veſte, quaſi modo genitus infans ea ornatus, corã tuo aſpectu compareã. Gaudeo nunc ex corde, gratias quam poſſum maximas tibi rependo, rependamq́; in æternum, o utinam id omnes una mecum præſtent? Quidquid verò mi JESV de integritate confeſſionis, de perfectione doloris, aut firmitate propoſiti ex humano defectu abfuit immenſa tua bonitas & miſericordia gratioſiſſime ſupplebit. Pœnam inſuper, quæ mihi (heu)! nimium pro exceſſu meo leñis impoſita eſt, ut ita quodammodo tuæ juſtitiæ ſatis-

tisfaciam, promptiſſimè exolvam, eamq́; tuis tuorumque Sanctorum SS. rigidiſſimis ſatisfactionibus, confidenter unies ac conjunges, eo modo, fine, & intentione, peragam, quo tu tuiq́; electi tecum regnantes, licet longè excellentiùs peregerunt eam. Hunc ergo me meaq́; opera, eâ ſerenitate reſpicere, eâ gratia promovere, quâ te æternus tuus Pater in cruce pendentem, & pro nobis lacrymosè ſupplicantem reſpexit, & perfectiſſime placatus acceptavit, Amen.

Hic iniunctam pænitentiam perſolve.

Deinde ſaluta B. V. MARIAM Salve Regina, ſub tuum præ ſidium

ſidium, &c. tuos SS. Patronos & Sanctas Patronas.

Ad S. Antonium.

OFfero tibi o Antoni, cæli terræque aſtrum lucidiſſimum, hoc meum pænitentiæ Sacramentum, quidquid in illo dignioris meriti eluxit, quidquid ſanctiori opere mercatus fuero, per tuas manus o Sanctiſſime Interceſſor, coram ſummo Deo meo reponi deſidero, ut in ejus omniumq́; procerum cæleſtium oculis, in chariſſimũ honoris & amoris pignus, perpetuo detineatur, in ſuaviſſimum holocauſtum immoletur. Ego interea nihil

expecto, nisi quod ejus insigni clementiâ, tuo patrocinio innixus, omnia mea delicta, sperem esse abolita penitùs, ac in Vnigeniti ejus sanguineo fonte demersa, ad quod securius obtinendum, te Antoni dulcissime iterũ iterumque interpello, ut illas, quas vivens pro peccatoribus sine numero exantlasti austeritates, in æternæ Dei Majestatis Ara, rursus pro me offeras & consecres. Ita certissimè tuis meritis, nullas post hac timebo pænas, sed in gratia confirmatus, in vitæ novitate reliquum stadium faciliter post te conficiam, Amen.

Crebra gratiæ, in hoc Sacramento collatæ memoria, exci-

citata, ac ſeria per diem propoſiti renovatio, à relapſu reſervat, nam propter oblivionem promiſſionis Chriſto factæ, adeò lapſus eſt Petrus, uti ipſe narravit Sanctæ Brigittæ lib. 4. Revela. cap. 5.

Ad Sacrificium Miſſæ.

QVod in ſacratiſſima Euchariſtia Liturgia, à Sacerdote conſecretur & ſumatur, item aliis diſtribuitur, verum corpus & ſanguis Domini noſtri IESV Chriſti, S. Antonius Paduanus oſtendit luculento prodigio. Cum enim cuidam Hæreſiarchæ, hanc veritatem nulla ratione poſſet inculcare, promiſit ſe miraculo eam teſtaturum, accepta conditione à ſectario. Die poſtera, oblato ſacrificio proceſſit Vir Sanctus, coram innumerabili Hominum multitudine cum S. Hoſtia in medium, mox e-

ducto

ducto bene famelico mulo, præcepit in virtute Creatoris sui, quem manibus indignus gestaret, debitum honorem & reverentiám, ei exhiberet. Vix desierat loqui Antonius, ecce Iumentum relicto pabulo accurrit, & genibus submisso capite curvatum, Creatorem suum in Sacramento humiliter adoravit, quo viso melius sapuit Hæreticus, cum pluribus aliis. Sedul. in ejus Vit. cap. 14.

Nostris Fidelibus, non modo datur adorandum, verum etiam sumendum ipsum Sacramentum, quanto intensiorem ei exhibebunt Reverentiam? quanto fervore anhelabunt ad illud, quod noster Assuerus Rex pacificus, in vestibulo Horti Olivetici paravit GRANDE Convivium *Esther* cap. *1.*

Ad initium Sacri.

OMnipotens æterne DEUS, Ego vilissimus servulus

vulus tuus, ad Majorem Nominis tui gloriam, B. MARIÆ Virginis, S. Antonij omniumque Beatorum cultum, & venerationem, ut Sacrosancto huic sacrificio, possibili reverentiâ assistam. Suscipe illud quemadmodum, à tot sanctissimis Sacerdotibus, quotidie per universum orbem, suscipere dignaris. Respice hoc pro me & omnibus circumstantibus, quemadmodũ cruentum illud, in Ara crucis, Filium tuum Vnigenitum, in omnibus suis vulneribus, sectu-ris, & pretiosissimi Sanguinis profluviis, pro mundi salute rèspicere dignâtus es. O si unquam pro illo Filij tui holocausto, sufficientes laudes &

gratias referre possem! O si admirabili huic propitiatorio, tanto ardore & condolore possem assistere, quanto ei olim Purissima Virgo MARIA, Virgineus Joannes, gemens Magdalena, alijq; devoti sub ligno crucis adfuerunt. Vtinam mi Deus, sub hac medullata victima, tanto amore ad te raperer, quantò extatici tui amici, Franciscus & Antonius, sub ea rapti fuerunt! horum omnium Seraphicis affectibus, & ignitis ardoribus, meos licet lãguidos, (eheu) nimium frigidos conjungo, ut inde inflammentur. Offero tibi o Pater misericordiarum, hoc sacrificium, eâ intentione & petitione, quâ

id

id Dilectus Filius tuus, cum Spōsa Ecclesia, quotidie proponit. Idem ego quod ipse, quantocunq; possum devotionis ardore, postulo, corpus & animam, omnes necessitates hasce, N. N. singulariter divinissimo huic memoriali, sacerdotali consecrationi, omnium devotorum stantium precibus filialiter includo, ut horum meritis, sacramentales fructus abundanter participem, & consolationis præsentiam, Amen.

Ad Evangelium.

DOmine JESV Christe, qui S. Antonium per Evangelij prædicationem, fidem

tuam ubique dilatare docuisti, da nobis, & ejus exemplo & intercessione, salvifico tuo verbo, sincerâ charitate, ad finem usq; constanter adhærere. Concede temporum trãquillitatem, principum unitatem, ut illud liberius toto corde, dispergatur, & millesimo fructu adaugeatur. Da o Bone JESV ut illud in tot infidelium Hæreticorum, & peccatorum cordibus, evulsis pravorum dogmatum radicibus, feliciter plantetur, conservetur & nullâ tentationûm occasione dissipetur; ut ita omnes in unico ovili, sub unico Pastore, te humiliter agnoscant, & laudent, qui es sola salus, vita & resurre-

ctio

ctio nostra, per quem salvati & liberati sumus. Tibi sit honor & gloria, in seculorum secula, Amen.

Ad Oblationem.

Hic cum Sacerdote, Deo offerente Panem & vinum, offer simul cor tuum, uti & omnium circumstantium, imò omnium Fidelium corda, orans ut in Christum per ejusdem amorem & imitationem transformentur.

O Benignissime DEVS, Pater, nunc incipiunt inexhausta deitatis tuæ mysteria, nunc umbra in lucem, figura transit in veritatem, ecce Sacerdos tuus, panem & vinum, ut olim Melchisedech Majestati tuæ in Ara of-

fert. Accedo ego Novissima creatura tua, in fide & spiritu, ad hanc sanctissimam Aram, & cum sacerdote manus, cor, & omnes animæ vires, ad te elevans, offero tibi, eximium hoc sacrificium, unâ cum omnibus tibi unquam oblatis & offerendis, in unione immensi illius amoris, quo Vnigenitum tuum nobis Salvatorem misisti. In memoriam illius Sanctissimi Sacrificii, quo ipse te in primo mundi ingressu, totâ vitâ in ultima cæna, præsertim in cruce & morte cruenta, perfectissimè placavit, & nunc placat, ad dexteram tuam sedens, summus & sempiternus Pontifex.

Reſpice illud o Pater Sanctiſſimè, quemadmodum eundem Mediatorem, in atrociſſimis ſuppliciis, lachrymis & anguſtiis reſpexiſti. Vide illud ea ſerenitate, quâ puriſſima Virgo Filij tui Sponſa & Mater MARIA, Joannes Evangeliſta, Antonius Paduanus, tot eximij Sancti & Sanctæ, olim & hodie tum oblatione, tum ſumptione tibi cõplacuerunt, ac per hoc omnes deſolati, tam in hoc quam in altero ſeculo, propitiatorium inveniant, ſpecialiter tamen meas omniumque mihi tam ſpiritu, quam ſanguine conjunctorum & commiſſorum, neceſſitates, curas, actiones, vitam ipſam, ſub hac

Sancta Liturgia, Eucharistico calici immergo: ut in Filij tui ſanguine dulciſſimo, omnia ſanctificata, imò conſecrata ſacerdotalibus manibus ſubleventur & tibi unâ immolentur.

Suſcipe illud per Vnigenitum tuum, in virtute Spiritus ſancti, meo omniumq; Fidelium amore, & nomine, ad maximum æternumq; divinæ Majeſtatis tuæ beneplacitum, & obſequium cultum & gloriam, in proteſtationem ſupremæ tuæ excellentiæ, in gratiam recognitionem, tuorum omnium, inæſtimabilium beneficiorum, in ſatisfactionem & propitiationem tot injuriarum, quibus à me

&

& innumeris peccatoribus toties provocatus es, in perpetuam venerationem, gratiosæ & gloriosæ Incarnationis, & Nativitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis ejusdem Domini nostri JESV Christi, in honorem & augmentum gloriæ B. V. MARIÆ, SS. Angelorum, Omnium Patronum & S. tui Antonij Paduani, cujus intercessionis gloriam, hoc Sacrosancto sacrificio peculiariter renovari & augeri desidero.

Suscipe illud pro afflicta tua Sponsa Ecclesia Catholica, & ejus supremo visibili capite, pro tutela & augmento Sacri Romani Imperij, Imperatoris, & omniũ prin-

cipum ſalute & concordia, pro omnibus tam Sacris quā profanis Rectoribus, & Præpoſitis, Miniſtris, & Præſidibus noſtris, eorumq; felici & pacifico regimine. Pro parentibus cognatis Benefactoribus, ægris, & captivis, miſeris & egenis, pro omnibus in igne ſe purgantibus, ſpecialiter pro his N N. ſi egeant ut ſingulis ita ſalutariter proſit, hæc incruenta, quemadmodum profuit olim Vnigeniti tui immolatiō cruenta, Amen.

Sub

Sub Elevatione.

SACRÆ HOSTIÆ

Dic quantum potes intensis manibus, & Affectibus.

HOc est corpus tuum o mi JESV, de pura Virgine natum, in cruce pro nobis immolatum, nunc in cælis elevatum, salva me dum veneris in judicio.

Credo in te o verax JESV, spero in te o fidelis JESV, amo te o dulcis JESV, doleo quod unquam offenderim te, o optime JESV.

Cum S. P. Francisco.

O Domine Deus cælestis Pater, respice in hanc gloriosam faciem Christi, Fi-

lij tui, & miſerere nobis Domine meus & Deus meus, Tu Rex gloriæ Chriſte, tuis Famulis ſubveni, quos pretioſo Sanguine redemiſti.

Nunc dimittis, &c.

RESpice o Immenſe Pater, e throno cæleſti, vide dilectum Filium tuum JESVM Chriſtum, en iterum ſe tibi renovato amore offert, invivam hoſtiam, ſimul & victimam, vide glorioſam carnē, pro nobis olim adeo vulneratam, ſectam, dilaniatam, vide ſacratiſſimi fontem cruoris, pro humana ſalute effuſi & conculcati, vide innocuum tuum agnellum, qui in ligno crudeliter occiſus, te

nobis ex integro conciliavit. O utinam per ejus lacrymosas voces, paternum tuum misericordiæ pectus reseraretur, ut in ipso omnes respiraremus.

Ad Sacri Calicis Elevationem.

HIc est Sanguis tuus o JESV Christe Salvator noster, hæc sunt vbera tua o Sponse! plena amoris vino, quod e latere & omnibus membris tuis promanavit, hic est fons aquæ salientis in vitam æternam, qui totius mundi peccata abluit, in hoc relucet tuum, quod nobis reliquisti, verum testamentum, & ultima volun-

voluntas, quâ obtinuimus jus ad æternam in cælis hæreditatem, fac JESV quod dixisti, & da quod promisisti.

O misericordissime DEVS, in honorem B. V. MARIÆ, S. Antonij, offero tibi hoc Sacratissimum corpus, & sanguinem Domini nostri JESV Christi, ad æternam nominis tui gloriam majorem, S. Patroni mei cultum & honorẽ, pro animarum in Purgatorio, quæ ipsum in vita præ cæteris honorarunt refrigerio. Quæso pauculas, hujus pretiosi sanguinis guttulas, animabus nostris infunde, & ita per omne ævum, in tuis laudibus accrescemus, Amen.

Ad Sanctum Antonium.

EN tuus Sanctissime Antoni dulcissimus JESVS, qui in terris, medullis tuis adeo inhæsit, ipse in Ara vivus repræsentatur. En adest aureus ille JESVS, unica tua, & mea salus, ille quem olim amorosis amplexibus constrinxisti, idem Deus & homo præstò nunc est, nec dubito, quin tu ipse cum innumerabili Angelorum, imò & tui ordinis confratrum exercitu, eum præsens adores. Ego quidem Deum meum per te humillimè adoro, per illum te suaviter saluto, & quantum licet ullâ ratione & animi viribus possibile est, dono, offero tibi

hoc cæli terræq; delicium, in ſingulare gaudium, in novum laudis præmium, amplexare o Antoni aſſuetis brachiis, hunc amorum Faſciculum, hunc dulcem JESVM, fer illi pro me mille ſalutationes, da mille baſia, proſterne te mecum, & tota cælitum curia, ut Regem Regum verum noſtrum Incarnatum Deum dignè veneremur. Oro te ſupplex Maximè Patrone, per amorem illum & eximiam reverentiam, quâ inæſtimabile hoc Sacramentum, ſemper conſecraſti, ſumpſiſti, & participaſti aliis nec tantum pios & Fideles, verum etiam ſectarios, imò prius ſtolidas beſtias ad ejus venerationem pertra-

traxisti, ut cor meum cælesti ardore excites, intellectum illumines, voluntatem inflammes quo divini hujus, & grandis convivij, fructus, vivo desiderio, sincera charitate percipiant. Illum melitissimu m tuum JESVLVM e tuis lassatis brachiis nunquam, e tuo satiato corde nunquam, (mihi heu) imbelli & arido benigne concede, ille lassum, & in via virtutis (heu) sæpiùs collabentem solidabit, ille aridum sanior ibus rivulis fæcundabit ille in omnibus periculis & præssuris deficientem te patrocinante indubie confortabit.

Ad

Ad finem Sacri Convivij.

NVnc o Suavissime Antoni, victima reverenter astiti, illam supremo Deo ad ampliorem gloriam tuam indignus obtuli, suscipe à tuo Cliente, cordiale munus, cõplaceant filiales affectus quidquid per hoc devotissimum memoriale virtutis, aut præmij mihi accesserit dono, resigno, tibi in amoris, honoris, favoris, æternum monumentum, optans medullitùs, ut per hoc Dei Maximi B. Virginis & tuam gloriam, infinitè ampliare possem. Jam verò, rogo imò obtestor te per hoc tremendum sacrificium,

per

per virtutem hujus inæstimabilis mysterij, ut me cũ omnibus meis præcibus, & votis Deo fideliter commendes, ah unicè Patrone, Christum Deum, ejusq; Immaculatam Genitricem, ambos cordis tui ocellos interpella, ut apud augustissimũ æterni Patris thronum, pro me jugiter interveniant; quò postulata mea si divinæ voluntati suæ conformia fuerint, securius obtineam, sic vivam certus eâ fiduciâ, nullo bono vestro, bono intuitu me defraudatum iri, quid enim dilectissimo & cõsubstantiali Filio, quid Honoratissimæ suæ Filiæ MARIÆ, quid Familiarissimo suo Antonio justa petentibus dene-

nega-

negares? Eia o JESV cor meum, o vita mea MARIA, o ſpes mea Antoni vos eligo Patronos meos, fidiſſimos agentes in hac cauſa graviſſima, vobis o anima mea reſigno actiones meas, quas coram Tribunali, in æterni Regis curia gerendas habeo, ſubmiſsè rogans, ut eaſdem pro ampliore veſtro decore & gloria, pro ſecuriore præſentis & æternæ vitæ meæ ſalute mihi fideliter expediatis.

Devotiſſimæ Salutationes Ad IESVM.

Per varias Figuras ante Sacram Communionem.

AVE Potentiſſime JESV Rex gloriæ & virtutum, cujus

cujus eſt terra & plenitudo e-
jus, quam fulgidus es in coro-
na, quâ coronavit te Mater
tua, quam amabilis in purpu-
rea ſtola, quàm laviſti in ſan-
guine tuo, quam decorus in
crucis triumphali ſceptro?
quam liberalis erga me Prin-
ceps, cui tam divinum paras
epulum; mihi mendico LA-
ZARO ſufficiunt parvæ micu-
læ, de mēſa tua decidentes, &
tu me juxta te imò contra te
invitas? O anima exurge ala-
criter à terrenis ſordibus, in-
duere veſtimentis gloriæ, to-
gâ nuptiali præpara te, ocurre
cum muneribus, ſi quæ habes,
ecce Rex tuus venit tibi man-
ſuetus, o Auguſtiſſima Regi-
na MARIA, adjunge te animæ
meæ

meæ debili, deduçã eã ad locum convivij, ut dignè & reverenter compareat, coram Vnigenito tuo Rege Immortali, quem tuo utero concipere, & portare meruisti.

Ave Altissime JESV Deus meus, Æternum Patris Verbum, amore mei Caro factum, cur venis ad me Domine Deus meus? qui non sum nisi PVLVIS inutilis, quid tibi placet in me ut velis habitare in corde meo, qui infinite major es & sublimior? quomodo te dignè excipiam o Suprema Majestas, habes longe digniores animas in orbe, apud me nihil invenies, nisi cor durum frigidum, & immundum, an forsan ipsum emollire, accen-

dere

dere & eluere velis oleo gratiæ, igne amoris, ſanguineis rivulis, o anima mea exulta & jucundare, en venit creator tuus, Pater & Deus Maximus! O Angele Cuſtos, cum omnibus choris Angelorum adeſto, ut vobis anima ſtipata, veſtrum Dominum decentius ſuſcipiat.

Ave juſtiſſime IESV, vivorum & mortuorum venture Judex, en ego ſum ille vilis reus & flagitioſus, qui toties tuam juſtiſſimam vindictam promerui, nunc tamen cum Publicano ad te venio, rogans, ut ſis mihi Judex propitius, volo te cordi meo jam includere, ut in extremo judicio te benigniorem ſentiam,

fac

fac ne mihi hæc communio veniat in judicium & condemnationem. O SS. Patriarchæ & Prophetæ, qui hunc Judicem longe ante prædicastis assistite mihi, ut nunc digne ipsum suscipiam, & tandem securè vobiscum videam venientem.

Ave fortissime JESV Dux inclite, qui hasta gloriosæ crucis tuæ tartara confregisti, & contra omnes hostes eximia trophæa erexisti, En ego adhuc rudis PVGIL sub tuis vexillis in campum venio, adversus omnes insidiantes animæ me & cō-pugnaturus, anima me & cōforta o JESV tuâ escâ cælesti, ut viriliter hic certando, à te post hanc vitam coronari merear.

rear. Venite SS. Apoſtoli & diſcipuli Domini, qui e JESV manu carnem & ſanguinem participaſtis, veſtræ conſuetæ menſæ mecum accumbite.

Ave InnocentiſſimeJ E S V, Agne occiſe pro mundi victima, in Ara crucis cruente immolata, ergò ne tantum promeruit deteſtabilis culpa, ut tu pro ea ſicut ovis manſuetiſſima ad occiſionẽ duceretis? Tu ille Angelorum Dominus, Vnigenitus Matris, En ego me tibi viciſſim offero, & conſecro in vivam Hoſtiam, fac mecum ſicut vis, rege, ſalva, immola, æternũ ero tuum holocauſtum. O anima mea en rurſus adeſt Dei agnus, vult à te edi & immo-

lari, ſed incruente & in Ara amoris, igne charitatis vult abſumi. Invita ad te omnes Athletas, qui Agnũ occiſum ſecuti ſunt & cum ipſo purpurati cum his digne ſacratiſſimo cruore irrigaberis.

Ave prudentiſſime JESV cæleſtis medice, ſcio benè, non opus bene valentibus medico eſſe, ſed male habẽtibus, non veniſti vocare juſtos ſed peccatores, vides me undiq; ſaucium, peccatis negligẽtiis, anguſtiis, mundi miſeriis adeo depreſſum. Ad te venio mitiſſime Samaritane, optime Salvator perſanari deſiderãs, tu mihi potes in omnibus efficaciſſimam medelam adhibere, qui es ſola ſalus & vita noſtra

noſtra ſana me Domine & ſanabor, ſalva me, & ſalvus ero. O magni Dei Confeſſores, o Sancte Antoni SS. NN. venite mecum ad Salvatorē mundi, veſtrâ præſentiâ me plurimum in hac ſaluberrima ſumptione exhilarabit.

Ave pulcherrime JESV, ſpecioſiſſime ſponſe, ardentiſſime amator, quam pulcher es & decorus, quam ſerenus animæ meæ advenis, cor & caro mea in te exultant ad tuas delicias, ad tuum convivium ſponſa tua anima mea anhelat vehementiſſime. O amor meus, o æternum bonū, veni conjunge te animæ meæ, æterno conjugio, indiſſolubili vinculo, indiviſibili ardo-

re. Adeſte omnes Virginei chori, caſtiſſimæ animæ, qui Sponſum jugiter ſequimini, concludite me veſtris coronis ut deſideratiſſimo JESV digne perfruar nunc & in æternum.

Vt dignus communicare poſſis, hoc modo te accinges in occurſum Domini tui ſerio conſiderabis.

VEre & realiter in Sancta Hoſtia eſſe Corpus & Sāguinem Chriſti Dei & hominis, vivum & integrum ſacramentalibus ſpeciebus occultatum, quem proinde Beati in patria clarè vident ſecurè poſſident.

Admiraberis eminentiſſimam dignitatem hujus Sacra-

cramenti, quo Deus ipſe conſiderata, inſufficientiâ noſtrâ, æterno Patri ſeſe obtulit in holocauſtum, ſimul & victimam, ipſe enim eſt offerens & oblatio, cibus, & convivium.

Suſpicies excellentiam amoris, cui non erat ſufficiens, ut carnem noſtram, ſuæ deitati uniret, verùm inſuper Deitatem ita unitam, cuilibet fideli communicanti unire vult, & quaſi incorporare.

Quod hoc Sacramentum ſit unica nutritio & conſervatio, vita ſpiritualis animæ, quâ mirifice corroboratur viã æternitatis ingreſſura, ut poſſit feliciter pertingere ad montem Dei.

Quod ſit mirabilis in Chriſtum transformatio, & faciat vivere quodammodo vitâ ipſiuſmet Chriſti, ut idem velit, reprobet, amplectatur.

Evehit hominem, ad miram ſublimitatem faciens illum ſacrariũ & Hierothecam Corporis & Sanguinis Domini, ita ut in ejus corde reluceat paſſionis Idea & vitæ Chriſti.

Conſervat eo fæcundiores fructus, quo fæcundiore cum charitate, devotione, puritate frequentatur.

Beati qui ad Cœnam Nuptiarum Agni vocati ſunt Apoc. 19.

Sanctus Antonius Paduanus cum in suprema ægritudine morti appropinquaret sublatos multo tempore oculos serio defixit in altum, rogantibus quidnam videret, respondit, video Dominum meum ad æterna præmia me suaviter invitantem Sedul. in Vit cap. 24.

Pia & pura Anima, videt in Augustissimo Eucharistiæ sacramento eūdem ipsum, licet velatum Dominum, Regem & Sponsum se dulciter vocātem: Veni soror mea Sponsa surge speciosa mea veni desponsari dilecta, Hyems transiit, turtur canit, vineæ florētes redolent, ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator, veni in hortū Passionis meæ, tibi dabo ubera mea plena

charitatis botris ibi mecū bibes, & manducabis, ſine ſatiētate.

ORATIO

Summe devota, ad compunctionem cordis.

O Domine Deus meus, quomodo audeo te alloqui viliſſima creatura, ego enim ille ſum, qui contempſi te Deum meum, & pro quo mortuus eſt Dominus JESVS, jam horrent me veſtimenta mea, & mirum videtur quomodo me non deteſtatur omnis creatura quia omnium creatorem contempſi.

Jam mihi videtur quod hujus mundi machina, poſt me &

& contra me nefandum clamat & dicit iste est ille, qui Dominum nostrum contempsit, & contemnit, iste est, vanissimus & nequissimus, qui plus vanitatem quam Dominum dilexit. Iste est pessimus & ingratissimus, qui plus diabolicis figmentis, quam divinis beneficiis est tactus, plus sibi diabolicas nequitias quam divinam benevolentiam animo acceptavit, magis elegit esse servus diaboli quam Filius Dei, iste certe est qui divinam charitatem suis maleficiis contempsit, & quantum in se fuit irrisit: plus verecundabatur coram aliquo vilissimo rustico aliqua turpia peragere, quam coram summæ

ſapientiæ Deo nefandiſſima perpetrare.

Iſte eſt nefandiſſimus homo, qui nos ad honorem Dei factas in injuriã Dei convertit; debuit nobis inbeneplacito Dei uti, & volvit potius nobis, in diabolica ſervitute abuti Non ſufficit ei Deo injuriari in ſe, ſed & alios ad Dei injuriam, in quantum potuit provocavit

Si Deus ſuum non adimplevit beneplacitum & aliqua adverſa intulit, vel non ſemper ſuæ felicitati providit, contra ipſum Dominum Deum & Creatorem ſuum, quaſi contra unum ſuum famulum turbatur.

Clamant ergo contra me

indi-

indigniſſimum, digniſſimè omnes creaturæ & dicunt; venite & diſperdamus eum, qui totus fuit deditus per peccata injuriæ Dei noſtri.

Vnde ſuo modo clamat & dicit terra: quare tam nequiſſimum ſuſtineo? Aqua dicit quare eum non ſuffoco? Aer dicit, quare non deficio? ignis autem quare eum non comburo? Lapis quare eum non lapido? Infernus quare eum non devoro & crucio.

Heu heu miſer quid faciam, quo ibo quia omnia contra me ſunt armata, ad quem recurram? quia contra omnẽ peccavi, Deum contempſi, Angelos irritavi, Sanctos inhonoravi, homines viatores

multipliciter offēdi, hoc ipſo quod Deo Creatori iniuriatus ſum, cum ipſo omnem creaturam offendi. Neſcio ergo miſer, quo me convertam? qui omnium me conſtitui inimicum.

Scio quid facere diſpoſui, projiciam me in conſpectu Dei mei, & dicam ei: Eia verè Domine, ego ſum ille tuus peſſimus inimicus, nequiſſimus ſervus nefandiſſima creatura, quæ feci deteſtabiliſſima in præſentia tua, non sū dignus creatura tua eſſe, etiam in quantacunq; pæna conſtitutus, ſi ego ſolus haberem illam pænam infernalem quā omnes dæmones & omnes homines damnati habebunt,

non

non ſufficienter ſecundum peccata mea punirer.

Expande ergo Domine, ſuper hunc miſerum ſervum tuum, pallium clementiæ tuæ & vincat nequitiam meam immenſa bonitas tua, recognoſce in me imaginem tuam quamvis deturpatam, & deduc me ovem quamvis errantem ad te ipſum Paſtorem, gratuletur dulciſſimus Pater, de redeunte prodigo Filio, Paſtor bonus, de inventa ove, & piiſſima mater de drachma reperta.

Sanctiſſime Pater & dulciſſime Patrone Antoni, ne derelinquas ſervum tuum ſed pro ſalute mea intercedere digneris, ad deliciosiſſimum

in sinu tuo parvulum JESVM.

Oratiuncula devotissima.

DOmine JESV Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, & tuo sanguine inebria mentem meam, ut quocunq; me vertam, semper te videam Crucifixum, quidquid aspexero, in tuo sanguine appareat mihi rubricatum, ut sic in te totus tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri, Hæc mihi consolatio, tecum mi Domine vulnerari: hæc intima sit mihi affectio sub te aliquid non meditari, non quiescat cor meum bonæ

JESV donec inveniat te centrum suum, ibi cubet, ibi terminet suum appetitum, Amē.

Frumentum, Electorum & Vinum germinans Virgines Zach. 9. ver. Vit.

O Infinite potens, infinite misericors Deus meus, jam universa Angeloru Hierarchia, omnes Cælorū Principes, & virtutes sese mirabiliter componunt, ut Filium tuum glorificatorem suum, super hanc Aram, jam jam descendentem, digne excipiant & adorent, & ego inutilis pulvis, exitiosus terræ vermiculus, qui eundem meum Redem-

demptorem, non modo adorare, verum etiam manducare volo, quomodo animam meam præparabo? in qua nihil nisi Putidam & horrendã tot peccatorum sentinam invenio, Angeli & Sancti tui horrent, meritò tam fædum, & lutulentum cor, invisere, & quomodo audebo temerarius purissimũ Virgineæ Matris Filium, Sanctum Sanctorum, Agnum Dei in illud introducere? qui in immaculato utero in nivea syndone, in novo monumento recondi voluit, quomodo meum sterquilinium subibit.

O quis mihi fons dabit sufficientes rivulos, quibus tot maculas eluam, ubi inveniam

tam

tam potens balneum, quo cor plenariè emundabo? Nemo id o Bone JESV fæcundius præstabit, quam tu omnis decoris & pudoris fons, uberrimè ad te festino, ex toto immundus peccator, dolens & gemens, ut me, limpidissimis vulnerũ tuorum fluentis expurges, lava o mundissime JESV, pretiosissimo sanguine, qui ex manibus & pedibus lanceato corde jugiter promanavit. Dillue venenatum cor meum, saluberrimâ rosaceâ, quã divinus amor, e dulcissimo tuo corde in ardenti excellentis charitatis olibano expressit, cõforta illud roseo cruoris tui vino, quod crucis immane torcular, e tot vulneribus omni-

omnibusq; corporis uenis largissime deprõpsit O salutares rivuli, qui, e Domini Dei & Sponsi mei membris, per flagra per spinas, per clavos, & lanceas, prosilijstis, decurrite quæso in animam meam, nævis depuretur. O purpureæ sudoris guttulæ, ob pavorem, è sacro corpore distillatæ, o ardentes lacrymæ, ex oculis mei Crucifixi JESV & dolorosæ Matris jugiter profusæ, descendite in malevolum cor sordidissimi peccatoris, illudque ab omni fermento nequitiæ expurgate.

* *

*

ORA-

ORATIO

Ad Sanctum Patronum.

O Lucidiſſime Beatorum adamas S. Antoni, hūc ad Sanctam Communionem acceſſum poſt Deum tibi in acceptis refero, ad tuum ſervitium, cultum amorem, majorem venerationem, & augmentum gloriæ, hoc magnū Sacramentum, ſuſcipere, ſuſceptumq; tibi offere deſidero, ſed pro hoc non vulgari ſermone & obſequio, id mihi velim rependas, ut tuo patrocinio, & potentibus ſuffragiis, prius ad illud idoneus efficiar.

Non ignoras piiſſime Pater quam

quam deformis & in decora appareat anima mea, ut puriſſima carne, & radiantiſſimo ſanguine JESV Chriſti decoretur, & veluti incarnetur, tu longe perſpicacius videre potes, & (heu) ſæpius forſan vidiſti, quantum dedecus, quantam ignominiam, illa Salvatori noſtro afferre potuit, quæ per criminoſam linguam, & contaminatum cor, ipſum invitat. Reſpice ad fores tuas, ſto animo contrito, & humiliato, pulſo, clamo, ſpirituale alimentum mendicans.

Oro te o ditiſſime Antoni, ut de flagrantiſſimo illo tuo amoris igne, quo te in terris ad hanc Angelorum eſcam, accen-

accendisti mihi tepido pauculas favillas participes, quibus affectus meos succendam, oro te, ut de illo effusissimo pietatis tuæ imbre quo hunc panem cæli excepisti, minimas mihi stillulas effundas, quibus respersus purior & securior, accedam. Rogo te per eximiam illam, & incredibilem tuam reverentiam, erga hanc deitatis Hirothecam, ut in restaurationem omnium meorum excessuum & negligentiarum, JESV Christo rursus offeras, omnes tuas dotes & prærogativas, omnia gesta, & merita, ut per horum exundantiam, mea inopia impinguetur.

Fac o Antoni ne indigne

carnem & Sanguinem Christi percipiam, ideoque in laqueum incidam & judicium, excusa neglientem tuum Clientem, qui tam egenus, tam aridus & jejunus, in his Agni cælestis nuptiis comparet, cõtege quæso paupertatem meam, regiâ gloriæ tuæ purpurâ obvela nuditatem meam illustrissimâ dotum tuarum stolâ, ut per te me sponsus meus recipiat, & suscipiat, cui propter te jam jam obviare, & in castissimos amplexus ruere anhelo.

Ignea Amoris Iacula ad IESVM

O Bone, o dulcis JESV, vive Panis Angelorum,

ad

ad te cor meum altè ſuſpirat, te deſiderat, te vocat deſolata mea anima, in tuo Sanctiſſimo Sacramento, ut te dulciter fruatur, ut ineffabilem tuam bonitatem deguſtet. O præſtantiſſime JESV credo ego, imò ſcio, quod ſi millies, imò infinities mille mūdi, auro puro, rariſſimis unionibus & lapillis conferti eſſent, non tamen ita coæquandum fore hunc theſaurum, cum illo, qui in exiguo Hoſtiæ circulo reconditus latet, quam unicum arenæ granulum, huic univerſo, nihilominus hoc theſauro incomparabili, me nunc ditare cupis, has inæſtimabiles margaritas, mihi donabis, ut exinde ego locuple-

pletatus, omnes creaturas, ad ampliores tuas laudes gratias & amorè invitare valeam.

Et nondum totis viribus, ad hoc deitatis Sacrarium accurrerem, nondum ad hanc aurifodinā, pleno cordis anhelitu festinar. Eia veni delicatissime JESV, veni pretiosissime amator, effunde in me tuas gazas, tuas gratias, veni o inexhaustum Gazophilacium, amor tuus me in te, & te in me transformet, ut idem simus velimus, & agamus! Si moram trahis in tantis desideriis, o mi JESV, en ego, impatiens ad te propero, licet immeritus, nihil boni, nihil mundi, ad conspectum tuum conferam.

O si tanto devotionis ardore, quanto unquam ulla creatura flagrarem! o si omnium Angelorum, & Beatorum, Seraphicis affectibus, virtutibus, & candoribus niterem, ut consimili charitatis fructu hoc cæli manna vescerer imò si possibile optarem ipsam tuam eminentissimam puritatem, ipsum tuum cor omnis sanctitatis oceanum habere, ut in illo dignè te hospitarer, en præmitto ad te cor meum amantissime JESV, impono id tuis sanctissimis manibus, ut illud adornes, præpares, secundum beneplacitum tuum: aperi tuum infinitis gratiis exundans, ut hinc meum fæcundes, resera corda illa in-

numeris dotibus radiantia, Excellentissime tuæ Matris Virginis, Seraphici Francisci, Sanctissimi Antonij qui tot & tantis industriis, ad tuum pinguissimum libamen sese disposuerunt, horum excessibus inopiam meam compensa.

Veni ergo o JESV salus vita, & fælicitas. Veni in cor meum, ante hac flagitiosum quidem, tuo tamen sanguine nunc mundatum, intra sub tectum meum tuis gratiis exornatum, incole illud tua perpetuâ virginitate Extende manus tuas clavis pro me ttansfixas, trahe constringe animã meam, tam firmiter, tam ardenter, sicut olim in cruce ad omnes perditos amplexandos

cas

eas expandisti, non ego diutius morabor o mi JESV sed ultro obsequar, me potenter à te vinci patiar, nec in æternũ dissolvar.

En dilecte invito inclamo te, illo desiderio, curro, volo post te o candide & rubicunde sponse, utinam illo ardore, quo illibata sponsa tua Virgo MARIA te insecuta fuit, surge modo propera, ut videam te Regem dulcem, Salomonem meum in gloriæ diademate, hæc erit dies faustissima, nostræ desponsationis, & cordis lætitiæ, veni electe ex millibus in arcam, in ferculum quod te ipso operante, feci tibi in anima mea de lignis pretiosis, columnas ni-

veo ardore argenteas, reclinatorium amore auratum, ascensum compassione purpureum, medium eximiâ charitate spe fide, constravi, ibi exultabimus & semper lætabimur in florido innocentiæ lectulo.

Accelera cælestis medice, & sana languentem animam, exorere sol justitiæ, & divinitatis tuæ radiis dissipa tenebras meas, advola urens & consumens ignis, & affectus meus inflamma decide o nivee cæli ros, ut gustem dulcorem tuum. O mi JESV venio ad te lassus, ad vechiculum, afflictus, ad præsidium, egenus ad Principem, æstuans ad umbraculum, esuriens & siti-

ſitiens ad edulium, ut anhelans ſponſa, ad ſuum decorum ſponſum.

In Acceſſu.

Adeſto nunc o Sacratiſſima Virgo MARIA, quæ hunc Dominum, ac ſponſum meum puriſſimis tuis viſceribus concipere & portare meruiſti, Adeſto, o mi Tutelaris Angele, Adeſte o vos ſingulariter electi Patroni, S. Antonij S. S. N. N. adjungite vos lateri meo, ut dominum meum nunc velatum, digne ſuſcipiam, & poſtmodum vobiſcum, in gloria revelatum conſpiciam.

Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, &c.

Vnde hoc mihi, ut tu Domine Deus venias ad me, Deus meus & omnia, in te o ineffabilis veritas credo, in te ſpes mea unica ſpero, me amo ſuper omnia, totus in corpore & in anima tuus ſum, & & eſſe cupio, tantum voca me, trahe & transforma in te Deus cordis mei, & pars mea in æternum.

Salve ſalus mundi verbum Patris Hoſtia Sacra.

Viva caro, deitas integra, verus Homo.

Ecce ſpõſus venit exite obviam ei oleum charitatis in vaſis veſtris portantes.

Dum

Dum ſupremam Majeſtatem ore excipis cogita quaſi in ultima Cœna, cum Apoſtolis accumberes, vel e ſancti Antonij manu communicares, vel os Chriſti vulneribus applicares vel cum Symeone Chriſtum conſtringeres dicens. Nunc dimittis: vel cum Magdalena crucem amplectendo ſacer ſanguis ſe irrigaret, ſumpto Angelico cibo exultabit anima tua protinus pluſquam ſeraphicis ſuſpiriis cum S. Agnete.

ECce quod concupivi, jam video, quod ſperavi jam teneo, illi ſum juncta modo, quem totâ devotione dilexi, ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem, ſol & luna mirantur, induit me Dominus ciclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me poſuit

ſignum in faciem meam, ut nullum præter ſe amatorem admittam, mel & lac ex ore ejus ſuſcepi, & ſanguis ejus ornavit genas meas. Ecce veni ad te quem amavi, quem quæſivi, quem ſemper optavi, congaudete mecum, & congratulemi, quia induit me Dominus veſtimento, ſalutis, & tanquam ſponſam decoravit me coronâ jam corpus meum corpori ejus ſociatum eſt, ipſi ſoli ſervo fidem.

O JESV mi dulcis amator, nil diligo præter te. Tu ſponſus meus es, mens mea tua ſponſa eſt.

Anima Chriſti ſanctifica me,
Corpus Chriſti ſalva me,
San-

Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me,
Intra tua vulnera abscōde me
Et jube me venire ad te,
Vt cum Sanctis tuis laudem te
In sæcula sæculorum Amen.

O Dulcissime sponse JESV, o JESV amabilissime Pater, o JESV dulcissime amator, vita & salus animæ meæ, o JESV spes mea gaudium & voluptas mea unica. Vnde hoc mihi ut veniat ad me Dominus meus & Creator meus? quid miseræ animæ meæ exhibes gratiosissime Redemptor. felix & fortunatus sit tuus Adventus. Suavissime JESV saluto te millies, in infinitum

te laudo benedico, & glorifico, profundissima humilitate demisso affectu, ad Sancta manuum tuarum & pedum oscula provolvor, o incomparabili & supereminens animæ meæ thesaure? quàm liberaliter te inveni, quàm feliciter te nunc possideo. O quam gratus, quam benevolens, quã ardenter expectatus hospes mihi subintras, tu suavissimus sponsus, tu desideratissimus amicus, tu maximum solatium, tu summum & unicum bonum tu Deus meus & omnia, o si te dignè excipere, & tractare, o si gratum virtutum ferculum præsentare tibi valerem, vehementer pudet me tantæ inopiæ, tantæ nuditatis & miseriæ. Sed

Sed o dulcedo mea, non te invitavi non traxi, ut tu à me, ſed ut ego à te familiariter exciperer, ut tu me morbidū & undequaque ulceroſum, perfectè ſanares; Aperi ergo inexhauſtum miſerationum tuarum ærarium, ut dites egenum, deprome, ex fragrantiſſimo tui cordis & ſanctorū vulnerum tuorum pharmacopæo pretioſum ſanguinem, & gratiæ tuæ unguentum, ut ſanes ulcera animæ meæ, cor tuum, cordi meo, oculos manus, & pedes meo à glutina, voluntates, & intelligentias meas accommoda, ut mirabilis hæc identitas & junctura, me ſanet, ſatiet, præſervet, & Dei conſubſtantiam efficiat.

Gustet anima mea, veræ tuæ præsentiæ dulcedinem, sentiant præcordia mea Dei Patris medullam, ipsum virginalis uteri rorem, sibi instillatum esse.

Sis nunc benedicta o mea lingua tam fortunato transitu, ut post hac sanctiora profundas, benedicta sint mea illa lumina, quæ Deum absconditum viderunt, ne rursus ad illicita evagentur benedicta sit nunc felix o anima mea, cum corpore tanto digna principe, ut in posterũ falsas illecebras detesteris sed in amore tanti sponsi, jugiter crescas, gratiâ augearis, à malo præserveris

Canticum Magnificat anima mea, &c.

O Amantiſſime ANTONI, Patrone optime, reduco menti tuæ, inſuperabiles illas, delicias, quibus corpore & animo inebriatus fuiſti, quando dulciſſimus Angelorum miraculum SS. Trinitatis oraculum, te ſuâ præſentiâ illuſtravit, & tam ſuavibus tum verbis tum ſignis, tibi ablanditus fuit, ut ultra te ipſum ignoras ſupernis gaudiis, & ipſis Beatorum choris te intereſſe credidiſſes. En idemmet mellifluus JESVS e quo tot hauſiſti amores, fæliciſſimi cordis mei arce incluſus, vivit, nunc ipſamet bonitatis

ima.

imago, quam totis viſceribus sẽper ambiviſti mei juris eſt. Nunc ille mirabilis ſponſus quem toties caſtiſſimè precatus es, in meo cubili recubat, nunc vide o Antoni, quanto amore te proſequar, in te mei ipſius fælicitati præhabeam, en nunc meũ dilectum JESVM tibi quantum poſſem libens cedo, & offero, ipſis meis ſi valerem manibus diviniſſimã hanc Hoſtiam cordi meo indigno, ereptam, tuo longe digniſſimo immitterẽ, non alio deſiderio, niſi ut inde omnia tua gaudia & prærogativa ita renovarentur ac ſi rurſus in terris verè & ſacramentaliter Chriſtum tuum ſuſciperes, ininſuper omnia mea merita, &

gra-

gratiæ augmenta, quibus à justissimo remuneratore pro hoc opere me præmiandum spero, do & resigno me tibi hisce voluntarie privans ut tu glorificeris.

Tu ergo o Pater mitissime, tuo & meo JESV charissimo tantum pro me honorem & reverentiam exhibe, quantā ego merito vellem & deberē, tu illum multo ardentius collaudabis, & pro sacro epulo nunc exhibito condignas gratias pro me referes, Tu humillimè coram ipso adgeniculatus, omnium peccatorum meorum chirographum facillimè delebis. In omnibus angustiis, necessitatibus levamen, in suspiriis votis & lacry-

crymis opportunum auxilium exorabis. Benignè hoc Sanctissimum Sacramentum animæ meæ edulium tuis sanctis manibus exceptum, Sanctissime & individuæ Trinitati nomine meo præsentabis, in æternum laudis & servitij pignus in augmentum gloriæ, Virginis MARIÆ, tuæ, & omnium Sanctorum, in salutē, & fælicitatem gregis Christi, in agnitionem tot infidelium Hæreticorum & peccatorum, in liberationem animarum ex purgatorio, & potissimum pro obtinenda mea petitione, quā hac communione institui, cujus etiam in ejusdem immensa virtute, & tua indubitata intercessione me compotem fore

fore confido Suscipe ergo mi Antoni eximium hoc meum munus, ejusq; intuitu mihi suppliciter obsecranti benignus intende.

Gratiarum Actio.

GRatias tibi o Christe JESV, ex toto corde ea omnibus effundo viribus quia e sinu æterni Patris descendēs animam meam famelicā prætiosissimo corpore & sanguine tuo satiare dignatus es agnosco autem, & ultro fateor me, æquales pro tanta dignitate, non posse concipere minus depromere, hinc invito, omnes Angelorum & Archagelorum acies, Invoco B.

Vir-

Virginem MARIAM, Sanctum Josephum, S. Antonium. N. N. omnium corregnantium militias, ut uno ore, unâ voce & pectore te mecum animitus laudent adorent benedicant, infinitas agãt gratias, pro tanto mihi præstito beneficio, obstupendam illam, & abijssalem in amore dilectionem, quâ vile ac putidum cordis mei sterquilinium non exhorruisti, ut me ad salutem, imò ad tuam divinitatem elevares, omnes laudes & gratiarum actiones, quas ulla tibi creatura in cælo & in terra in tempore exhibuit, & in æternitate exhibebit, fero tibi o clementissime JESV in compensationem, omnium meorum

rum delictorum, sed quia ingenue agnosco has omnes, tuam dignitatem longè non coæquare, obsecro ut ex ipsomet deitatis tuæ pelago inscrutabili, dignè & sufficienter te ipsum laudes & glorifices.

Suscipe nunc hanc sanctam Communionem simul & omnia suspiria, preces & vota, sub illa medullitus expressa, & in mellifluo tuo corde melius, & decentius, tum digesta, tum animata infinitis tuis meritis vivificata SS. Triadi in juratum amoris pignus, in æternum honoris symbolum, pro me & aliis pro quibus oravi benignus immola, eo vel maximè, quia eminentissima

tua ſapientia ſola novit, quid ſupremæ Majeſtati Dei Patris excellentius conveniat, quid eſſentiali Spiritus S. bonitati placeat; Ignoſce etiam o bone JESV, & per acerbiſſimam Paſſionem ac mortem tuam, me à præteritis peccatis, emunda à futuris præſerva, à torpore animi excita, Per tuam dulcem Virginem MARIAM, per fidelem Dei ſervum Antonium te obteſtor, ut in omnibus obſervationibus, & gemitibus publicis & privatis, neceſſitatibus hiſce N. N. te ego cum omnibus bonæ voluntatis hominibus, chariſſimum patrem, clementiſſimum Dominum experiar, Amen.

Me-

Memoriale S. Passionis post Communionem.

Dum S, Antonius, aliquando de acerbissima Christi IESV passione & crucis amore dissereret, S. P. Franciscus, licet tunc corpore longissime absens, visus est in aere extensis brachiis annuere saluberrimum sui Antonij sermonem approbare, & omnes ad Christi patientis amorem excitare Sedul. cap. 10. Hinc colliges Pentaphilon.

Ex horto oliveti, & monte Passionis ubi Christus JESVS Dei Filius.

Botrus Cipri Cant. 1.

Attritus est propter nostra scelera Isaiæ 53.

Et replevit Torcular. Eccl. 33.

Ad

Ad Manum Dextram.

O Piiſſime JESV, amator Crucifixe, quanta dignatione glorioſiſſima Paſſionis tuæ ſtigmata animæ meæ ſæpius incruentè per ſanctam communionem imprimere, dignaris, en ipſa ego devotiſſimâ compaſſione, cum SS. tuis Franciſco & Antonio veneror & exoſculor, benedictus ſis o JESV, per ſacrum vulnus dextræ tuæ, in qua me conſignandum ſpero pro æterna hæreditate capeſſenda, quomodo enim mei non poteris recordari cum in dextra tua amor noſtri, indelebilem ſculpſerit figuram? o fælices clavi qui hic nobis ampliſſi-

mam

mam fiduciæ januam, recluſerunt, per hanc o IESV, ego cum omnibus tuis, tum Eccleſiaſtici tum ſæcularis gregis præſidibus potens inveniã præſidium, in omnibus caſibus hæc tua dextera me, cum illis amplexabitur, in hanc cum amore oppreſſus fuero, commendo ſpiritum meum, tunc dicam in te exultans, ſuſcepit me dextera tua manus, o JESV qui ſedes ad dexterã Patris, miſerere nobis. Pater noſter, &c.

Ad Siniſtram.

O Chriſte JESV, agne ſine macula, laus & gloria, ſit tibi ab omni creatura, per

per ſacratiſſimum Siniſtræ tuæ manûs vulnus Fateor me tibi hoc innumeris meis Siniſtris & flagitioſis manuum extenſionibus impreſſiſſe. At nunc o JESU propter Sanctum Antonium miſerere dolenti, non erit illa plaga amplius vindictæ, ſed veniæ, & miſe ricordiæ, memoriale gratiæ & clementiæ, Aſylum, quod omnes tuos amicos, & inimicos ſubire optarem, ut tibi & inter ſe placidiſſima charitate unirentur. Hæc tua ſiniſtra ſit in omnia dictis meis & factis ſub capite meo, quâ ad tui memoriam ſemper elevetur, ne in die judicij ad ſiniſtram partem compellar. Pater noſter: &c.

Ad

Ad pedem dextrum.

O JESV, optime Salvator, ſaluto & adoro ſereniſſimam dextri podis tui roſam; quæ immarceſçibili purpura toto cælo, in S. Antonij & omnium SS. conſpectu, mirabiliter floret: quam vellem & hujus ſuavitatem mundanis illecebris, quæ non ſunt, niſi flos fæni, ſemper præhabuiſſem, fac o JESV, ut plenè guſtem tuam dulcedinem, tunc nulla carnis, aut inferni hoſtilitas, me à te divellet da ut omnes mihi commendati, ſubditi, confratres & benefactores, hac tua ineffabili fragrantiâ attrahantur. Sic in æterna ſuavitate cum S. Anto-

nio & omnibus Sanctis te iugiter glorificabimus. Pater noster, &c.

Ad sinistrum.

O JESV piissimè Redemptor en sinistrum pedem tuum affectuosissimè amplector aureum in ipso amoris chrysolitum demirans. O quam pudet me? quam doleo, quod tot sinistris, & nocivis gressibus, recesserim à te, da ne hoc irremeabile, barathrum, in fælicissimis passibus tandem præceps ruam, voca, trahe me, cum omnibus Spiritu & sanguine mihi junctis, & sequemur te toto cordis affectu. Da, mi JESV meritis B. V. MARIÆ & sancti Antonij;

nij; ut dirigantur pedes nostri in viam pacis, nunc temporalis, postmodum æternæ. Pater noster, &c.

Ad Latus.

O JESV fidelissime Pastor, qui oves tuas inæstimabili sacri lateris tui cruore potasti, o potentissimum charitatis vinum, quo tot animæ vivificatæ sunt? in quo tot SS. cum Sancto Antonio, incredibiliter exultant. O fons saluberrime! quo totius mũdi scelera abluta sunt. O verum gratiæ, & amoris domicilium, in quo tot exanimes revivifcunt. Per illud sacri lateris tui, & omnia passionis stigmata, te rogo, o dulcedo

mea! inscribe illa cordi meo ut sicuti tuus Antonius, crucis amore jugiter inardescam, in tuo latere placide requiescam, hic securè legam, hic laborem, hic manducem, hic longe tutissimus vivā & moriar, Pater noster, &c.

B. *Albertus Martyr non dubitavit asseverare, unicam sed dolorosam vulnerum & cruciatum Christi IESV memoriam plus e molumenti conferre; quam si quis anno integro, solo pane & c aqua sese macerarot insuper continuo sanguine per flagra desudaret Certa atq; secura est expectatio promissa futuræ beatitudinis ubi est participatio Dominicæ passionis S. LEO ser 9. in Quadrag.*

HY-

HYMNVS

Quem Sanctus ANTONIVS de Padua in dies sæpius ante omne arduum opus, in omnibus tentationibus, imò & ultimo spiritu devotissimè recitavit. Vnde & B. Virgo hunc sibi præ cæteris gratissimum esse revelavit Sedul. cap. 12.

O Gloriosa Domina,
Excelsa super sydera,
Qui te creavit provide;
Lactasti sacro ubere.
Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.
Tu Regis alti janua:
Et porta lucis fulgida,
Vitam datam per Virginē,

Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine, &c.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

OREMVS

DOmine JESV Chriſte, qui per puriſſimam tuam Matrem Virginem, S. Antonio, ſemper in terris benigniſſimè auxiliatus es, da nobis utriuſq; meritis, & interceſſione adverſa mundi hujus ita tolerando vincere, ut de tantis ſuffragantibus Patronis æternas laudes tibi referamus, Amen.

De-

Devotæ ſalutationes.

In quibus omnes Sancti per Divum Antonium invocantur, & in ſingulis ſpeciale donum, à Patrono poſtulatur, in quo omnium omnino virtutum.

Flores apparuerunt.

Cant. 3.

SAlve o Antoni, nobilis humilitatis viola, exigua quidem in tuis, altiſſima in oculis Dei. Saluto te, cum Virgine Deipara tam raro demiſſionis floſculo, ut hoc ſolo maximè Dei Mater eſſe meruerit, gaudeo de hac veſtra incõparabili pulchritudine, ſpecialem Dei omnipotentis in vobis demirans, qui animi veſtri demiſſionem, ſupremis lapſorum Angelorum ſedibus

ſublimavit. Rogo vos humiliter o cæli decora, o certa præſidia, ipſum pro me exorare dignemini, ut diſcam ab illo eſſe mitis & humilis corde.

Ave Maria, &c. poſt JESVS dic quem Sancto Antonio oſtendiſti deinde Sancta Maria &c. & ſic in aliis ſalutationibus.

SAlve o glorioſiſſime Antoni, genuinum ſolſequium, qui in omnibus tuis actibus & laboribus, ad unicum divinæ voluntatis ſolem, te identidem convertiſti, ſaluto te omniũ cæli aſtrorum, Angelorum, Archangelorum nomine, gratulor tibi, & grates refero, ſupra vires meas ſupre-

ſupremo Deo, quod ejus potentiſſimâ gratiâ te vult incarnatum Angelum ſibi ſemper conformem, & omnino reſignatum effecerit. Oro te ſuppliciter ut cum millenis illorũ Miniſtrorum exercitibus coram agno occiſo, pro me intercedas: ut ejus agnoſcens voluntatem ſequar quocunque ierit.

Ave MARIA gratia, &c JESVS, &c. quem Antonius ſecutus eſt Sancta Maria, &c.

SAlve o flagrantiſſime Antoni, qui aſſiduis tuis & extaticis animi exceſſibus velut nectaris ardoribus, apud Deum jugiter revolviſti; ideoq; juſtiſſime nardus contemplationis nuncuparis. Saluto te

omnium SS. Patriarcharum & Prophetarum nomine, laudans & benedicens Deum meum, quod à te per tam sublimes visionum gradus evexerit; ut ipsos etiam Patriarchas, & Prophetas, in ejus agnitione, & futurorum prævisione æquaveris. Rogo te celsissime Patrone, cum Sanctis his viris, omnipotentem interpella, ut nunc in ejus agnitione, postmodum in visione lætari faciat.

Ave MARIA, &c. JESVS, &c. quem Antonius ubiq; prædicavit, Sancta Maria.

SAlve Ardentissime Antoni, nativa rubicundi amoris rosa, in qua omnium Apostolorum, & Christi discipulorum

lorum ſeraphicos ignes, videre meruiſti, congaudeo tecū, & collaudo Altiſſimum, qui te ſingulari gratiâ prælegit, ut horum exemplo, proximū charitate accenderes, & amorem ejus in cordibus languentem, mirabili tuo fervore ſuſcitares. Rogo te ut unâ cum iiſdem Apoſtolicis choris, Deum inflectas, ut ejus dilectionem omnibus creaturis anteponam.

Ave MARIA, &c. JESVS, quē Antonius ſuis brachiis portavit. Sancta Maria, &c.

SAlve Antoni, verè Indiarum Grandille, ſicut enim flos ille à quinq; ſanguinolentis guttis, clavis, ſpinis, & lancea, vivum Chriſti paſſio-

nis emblema eſt. (à) ita tu, ob jugem & doloroſam ejus ruminatione, in tuo corde eam veraciter expreſſiſti. Saluto te cum omnibus purpuratis Martyribus, tuis chariſſimis collegis, congratulor tibi, & Deum præconiis extollo, quod ejus amore crucem tam ardenter tuleris, perſecutiones optaveris, & ad martyrum per ſanguinis profuſionem anhelaveris. Rogo te o Laureate Antoni interveni pro me miſero, cum omnium Martyrum coronis apud Ducem veſtrum: ùt ejus crucem, libenter in hac vita ſufferam, nec unquam ſub illa deficiam.

AVE MARIA, &c. quem Antonius

tonius ſupra omnia amavit. &c. Sancta Maria, &c.

SAlve mi Antoni, formoſiſſime māſuetudinis Narciſſe, omnium ſpeculum Præſulum & ſacerdotum nomine te compellor. Gaudeo de inſigni hac tua dote, Deoque gratias pro te refero, quod tanta dignatione horum illuſtrium ſyderum, exemplo, vitâ, & moribus Angelicis, māſuetiſſima innocentiâ, innumeras animas, ad tua veſtigia traxeris. Oro te humillime, ut cum tantis præſidibus intercedas, ad Regis ſupremi ſolium, pro veſtris meritis, ille mihi in hac obſecratione, ac in hora mortis benignus apparebit.

Ave MARIA, &c. in quem Antonius credidit & ſperavit Sancta Maria, &c.

SAlve mirabilis Antoni, magnum ſapiẽtiæ Dei prodigium, qui in uſitatis operibus, & probata tua interceſſionis gratiâ velut immortalis Amaranthus perpetuo floreſcis, ut omnium Monachorum, & Anachoretarum imagines in te exprimas. Congaudeo tecum, & gratias ago, divinæ largitati, tuo Nomine, quod tantâ ſanctitate, tam illuſtribus meritis & miraculis, uſq; in hodiernum refloreſ. Intercede pro me cum Sanctiſſimis Patribus, apud Patrem miſericordiarum, ut per inculpatam vitam, & mortem feli-

felicem vestro consortio tandem perfruar.

Ave MARIA, &c. JESVS: qui Antonium mirifice ornavit, &c. Sancta Maria, &c.

SAlve o Candidissime Antoni, niveum Virginitatis lilium, cum omnium castissimarum Virginum & innocentium choreis te veneror, & suspicio, laudans, & glorificans illum, qui inter vos purissime pascitur, Angelorum Dominum, quod ejus fideli custodia, vester virginei pudoris flosculus, tot inter motuum, & tentationum spinosa sentizeta, illæsus omnino servatus fuerit. Te oro o S. Antoni. per tua omniumq; sociarum immarcescibilem Vir-

Virginitatis mundiſſimæ aureolam, precare pro me cæleſtem ſponſum, ut animæ meæ candidum florem jugiter vireſcere, & tot votorum imbribus ſecurum perficiat.

Ave MARIA, &c. JESVS qui Antonium tecum ſemper adjuvit Sancta Maria, &c.

SAlve o mitiſſime Antoni, qui ab omni verecundia, & morum comitate, plenos ſpiras hyacinthulos ſaluto te S. Ioſephi, S. Franciſci, omnium Patronorum, Omnium Sanctorum, nomine, & amore. Gaudeo de hac & aliiis innumeroſis dotibus, & præeminentiis, per illas te piiſſime exorans, ut tu & cariſſimi mei Interceſſores, ad Divinã Ma-

Majeſtatem veſtros labores, merita, virtutes, & præmia deferatis: ut horum intuitu, ad majorem Nominis tui gloriam, in omnibus anguſtiis, periculis, & querelis, mihi mitis appareat, ita nunc eum in gratia, poſt in æterna vita, vobiſcum colaudabo.

AVE MARIA, &c qui Antonium in excellenti gloria locavit. Sancta Maria, &c.

Sui commendatio ad Sanctum Antonium, quæ poteſt ſemper mane & veſpere recitari.

O Antoni! mi Patrone jurate, magna fide, majori ſpe, commendo tibi corpus, & animam meam, miſerias,

rias, & passiones, vitam ipsam & mortem, singulariter, in unione ipsius traditionis fidelissimæ, quâ Dominus noster JESVS Christus in cruce moriens Matrem suam, Virginem Virgini Joanni, suum vero spiritum, in manus cælestis Patris commendavit, in hujus virtute, me tuæ protectioni, & mitissimo cordi totaliter inscribo, ut quemadmodum S. Joannes, ex illa hora, Dei Matri, magnâ semper curâ inserviunt; ita tu me hoc momento in tutelam suscipias, ac in omnibus anxietatibus, maximè in articulo mortis, fideliter tuo Clienti assistas. Pro obside tibi consigno, animam meã tuis manibus

nibus gubernandam, omnino confidens, te tantâ ſolicitudine, tantum pignus, quod inæſtimabili JESV Chriſti ſanguine in libertatem aſſertum eſt, conſervatorum, quantâ id à tanto amico expectari jure poteſt, ſim ergo tuus o Antoni! vigilans, & dormiens ſub tuis alis, laborem, & quieſcam, attollar tuis brachiis, ſanus, & infirmus, ſtans & oppreſſus, domi & foris, te præſide conſervet, in vitæ termino feſtinus, decurrere tunc memineris, quanto ardore, quantâ fiduciâ, te nunc invocaverim, & me tibi ſubtraxerim.

**

Oratio pro Rebus perditis recuperandis.

O Antoni! Pater opiime, celeberrime Patrone, quantum divina gratia in te elucescit, quod miseris nobis, in omnib⁹ necessitatibus quidem, maximè tamen in rerũ, tam ablatarum, tum perditarum, restitutione indubium te Intercessorem assignaverit. Venio ad te eadem miseria oppressus, eadem fide opem tuam expectans, ut hanc N. rem mihi amissam benigna tua intercessione cures restitui recodare Pater, quam Deus noster te in gloria sua accrescere faciat, quando quærelas nostras, per tuas sibi gratissi

tissimas voces, ad se venire jubet, quasi intercessione tua solatium velociter adesset, experta sunt hucusque plura sæcula, in quibus mortui ad vitam, leprosi ad munditiem, naufragi ad portum, captivi in libertatem reducti, claudi ad soliditatem, omnes afflicti ad levamen, super omniu verò ablata ad Dominum, verum devenerunt, testatur hæc & innumera alia Civitas Paduana, tui sacri corporis custos, imò totus orbis christianus, in tua intercessione mirabiliter exultans. Nunc & ego confugio ad te, S. Antoni, rogans, suppliciter, ne tua suffragia, tot millenis hac in parte exhibita, mihi deneges, uni-

unico suspirio dulcem tuum JESVM, brachiis tuis olim inhærentem, inflectere vales, hinc illud quod amisi curæ tuæ committo, tuis manibus resigno, omninò, sperans te majorem Dei gloriam, tui cultum, in ejus restitutione promoturum, & me consolaturum.

Quod in ejus honorem edidit S. Antonij Paduani, Seraphicus Ecclesiæ Doctor Episcopus Albanensis Cardinalis S. Bonaventura Ordinis Minorum Generalis.

SI quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra, fugiunt ægri surgunt sani, Cedunt, mare, vincula, membra, resq; perditas petunt, & accipient juvenes & cani, pereunt pericula, cessat & necessitas, narrent, hi, qui senti-

sentiunt dicant Paduani. Cedunt mare &c, Gloria Patri, & Filio, Cedunt, &c.

℣. *Ora pro Nobis B. Antoni.*

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

Mitissime ac clementissime JESV, qui B. Antonium Confessorem tuum perpetuis illustras miraculorum splendoribus, concede propitius, ut quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaciter consequamur: Qui vivis, &c.

Quanta sit hujus responsorij vis & efficacia paucis adverte.

ANno 1636. dum in Italia e Novitio quodam Ordinis S. Francisci dæmon,

post

post longos exorcismos ejiceretur, coram Episcopo, & Vrbis Senatu coactus est à Deo cum magno sui mœrore prius fateri, neminem Sanctorum post B. V. MARIAM plura Inferno eripere spolia, quam Sanctum Antonium Paduanum, nullumque infelici morte decessurum, qui præfatum Responsorium, ut si legere ignoraret ejus loco tria Pater & Ave in honorem S. Antonij Padu. in diebus devote recitaret, quo dicto terribiliter effugit. Mox Hymno Ambrosiano Deus ab omnibus glorificatus est.

Vidit & audivit B. Mem. P. Vrbanus Bresserus Provin. Coloniens. PP. Min. Conv. olim Minister Provincialis.

Vt vero commodius hujus Responsorij efficaciam experiaris, explicabis illud duodecem Oratiunculis, quibus velut præstantissimis herbis singula mala arceantur.

Mors

Mors.

O Clementissime DEus, laudo te in S. Antonio, in quo tam præcellenter tua gratia eluxit, ut etiam plurimos ad vitam mortuos reduxerit, per ipsum te humillime deprecor, eandem mihi gratiam communices, ut anima criminibus subinde mortua suscitetur, suscitata à culpis mortiferis præservetur, ne postmodum sedeat in tenebris, & umbra mortis æternæ, fac ne mors mihi hujus vitæ dura, & formidolosa adveniat, sed exemplo S. Antonij cupiam dissolvi, & esse tecum, qui es sola vita nostra permanens in sæcula.

Error.

O Benignissime JESV, benedico te per Sanctum Antonium; qui tot erranti bus peccatorum, & infidelium animabus, veritatis tuæ lumen ostendit ut innumeri in viam justitiæ redirent. En & ego erravi, sicut ovis quæ periit, anima mea & conscientia, tot tenebris tot inanibus scrupulis, declinavit à recta semita in viam perditionis, desperationis & æternæ damnationis O te JESV per S. Antonium rogo, ostende mihi viam in qua ambulē, quære servum Sancti. Antonij, illumina, serena, converte, me, qui es via & lucerna pedibus meis.

Calamitas.

O Dulcissime Animarum hospes S Spiritus, magnifico te per S. Antonium, qui tuæ dulcedinis amore plenus, innumerabiles variis calamitatibus oppressos recreavit, & hodie recreat, da nobis, ejusdem meritis, in omnibus corporis & animæ, publicis & privatis angustiis tuâ consolatione foveri, sis Ecclesiæ tuæ & Patriæ nostræ, in bello requies, in fame temperies, in omnibus pressuris, dulce refrigerium, Amen.

Dæmon.

O Sacratissima Virgo Deipara, glorifico te in S.

Antonio, suavissimo olim tuo filio quem sæpissimè à dæmonum insidiis vindicasti, unde & hodie, ejus nomine invocato infiniti ab hominibus reiiciunt ejusdem amore mihi indigno tuo, & ipsius servulo, dona diabolicos effugere incursus, nunc & in morti hora, ut fide, & spe obarmatus, & invocato nomine JESV, gravissimum illud prælium feliciter conficiam.

Lepra.

O Sancte Antoni Angelicæ puritatis speculum, qui tam horrendas corporis & animæ lepras ab innumeris extersisti en hæc N lepra animæ meæ adhæret, rogo te per pu-

purissimum cor tuum, precibus tuis divinæ gratiæ balneum mihi præpara, quo ipsam totaliter abluam, succurre mundissime Antoni ut purus ad vos tandem perveniam, ad quos nihil intrat coinquinatum.

Ægritudo.

O Salus ægrotorum mitissime Antoni, cujus intercessione plurimi, etiam in gravissimis morbis desperati protinus consurgunt, oro te per eximiam charitatem tuam procura mihi, (vel N. huic Amico meo) validum auxilium, in hac, & omnibus infirmitatibus, ut in patientia Dei cōsolationem expectem,

tu omnes, ardores, & dolores, tempera, relapſum, eleva, puſillanimem, conforta, dumq; ad ſupremam ægritudinem devenero, novo & majore conatu, deficientem adjuva.

Mare.

SErenissime Antoni, qui tot navigantibus ſtella ductrix, tot naufragantibus, ſecurus in mari portus fuiſti. Rogo te per piiſſimam ſtellã maris, cuſtodi omnes fideles navigantes, mihi vero & hiſce N.N. in turbulento hujus vitæ Oceano, tot tentationũ, & miſeriarum fluctibus jactatis auxiliare, porrigere brachium digneris, ut laudem

fæ-

fæliciter emersi ad portum cælestem pertingamus.

Vincula.

O Præsentissime Auxiliator S. Antoni, quo patrocināte tot carceres effracti sunt, tot catenæ de manibus ceciderunt, recordare tot christianorum, durissimis infidelium vinculis constrictorum, recordare mei Clientis tui, qui tot pravorum affectuum, & consuetudinum, cōpedibus catenatus hæreo, recordare tot animarum in purgatorio devinctarum, quæ MARIÆ tibique fideliter servierunt, omnia hæc nostra vincula, ope tua confringe ut in vera libertate Deo famulemur.

Membra.

O Mirabilis Antoni, qui in terris omnia tua mẽbra adeò mortificasti, ut in suavissimum Divinæ Majestatis holocaustum transierint, pro quo, hoc tibi à Deo redditum est, ut tot in hominib' delibata membra recuperares ora pro nobis, ut ita custodiantur, Ecclesiæ corporisque mei membra, & sensus, ut Deo expeditius, inserviendo, exhibeamus corpora nostra, Spiritus S. habitaculum.

Res perditæ.

O Gloriosæ Antoni restitutor perditorum vide quæ & quanta bona, miseri

in

in hoc mundo amiſerimus, innocentiam dilectionē proximi, pacem, & concordiam, imò plurimi fidem ipſam, ſine qua nemo placere Deo poteſt, intercede pro nobis ad juſtiſſimum Deum, ut ſingula nobis benigniſſime reſtituantur. Vt in fidei & animorum unitate ſoli Deo vivamus, ne poſthac æternam perdamus ſalutem.

Pericula.

DVlciſſime Antoni, te veniente omnia pericula aufugiunt, te exorante omnia mala recedunt, vide quod undiq; nos circumſtent, vitæ, fortunæ, & ſalutis diſcrimina, en confugimus, ſub præ-

ſidij tui alas, tu nos corpore & animo, hic & ubiq; tuere, & conſerva.

Neceſſitas.

IN omnibus hiſce & alijs neceſſitatibus per tuum, o S. Antoni patrocinium, Dei gratiam, ſolatium, & auxilium Dei Petimus & ſperamus fac ut ex hoc miſericordiæ fonte læti bibamus o ſuaviſſimè Antoni intercede pro nobis.

ORATIO

Ad Sanctum Antonium pro morte felici.

O Dulce morientium ſolatium S. Antoni in ſingularem tuam cuſtodiam, in

inti-

intimum cordis tui ſcrinium, nova fiduciâ commendo, ultimam vitæ meæ horulam, ultimum momentum in quo ipſa tremenda æternitatis verſatur, exorans te vehementiſſimè per eximiā illam Dei gratiam qua te velut placidiſſimo ſapore reſolutam in æterna fælicitate locavit, ut noto tuo clienti in mortis agone, cum Angelo cuſtode fideliter aſſiſtas, & optato vitæ fine potiri cures Quodſi illa hora, præ anguſtiis, te advocare non poſſem, en id nūc facio & faciam ſæpius, teque eo affectu invito, quo tu JESVM & MARIAM, ambo tua præſidia, ultimo ſpiritu invocaſti, ab illis tu primo mira-

biliter, illuſtratus, deinde præeuntes ſecutus es, o invi-ᶜte Hæros, o glorioſe triumphator qui infernales ſatellites, tot in vita præliis, ſed longe victorioſiſſimè in morte fudiſti, haſce vires in ultimo certamine, mihi tantiſper accommoda, ut dæmones probata olim arma effugiant, Dei gratiâ me conforta, ne ipſorum inſultibus ſuccumbã, tuâ ſerenitate me recrea, ne horrendis eorum aſpectibus deficiam, plurium ſanctorum, & Angelorum coronis me include, ne ullli aditus pateat, angores cordis ſeda, intellectum illumina ne Dei miſerentis obliviſcar, deniq; cum anima ſoluta exierit, tuis ſan-

is sanctis manibus sublatam supremæ Dei majestati, strictissimo judici præsentia, tuo amore, & intercessione ille mitius judicabit, Amen,

Novem Oratiunculæ

Deductæ per excellentes dotes S. P. Antonij, quas in ipso germinavit.

Plantatio Domini
Isaiæ 69. Ver. 3.

GLorifico te o Antoni, Olvia sapientiæ, qui dū vanam mundi Sapientiam respuisti, & solum supernis cōtemplationibus increatam in cælis ambijsti, dedit tibi Deus os, talemq; sapientiam, cui nulla perfidorum versutia potuit

tuit unquam contradicere, cum qua tibi venerunt omnia pariter cælestia bona, tam innumerabilis honestas, ut verè S. P. Franciscus, te suum sapientissimum Episcopum intitulârit ora pro me Vir maxime, ut semper ita custodiantur. Intelligentiæ meæ, ne unquam in reprobum sensum abeant, sed sentiant de Domino in bonitate, & cordis simplicitate.

LAudo te o Antoni infractæ constantiæ, palma, qui in amore Dei & via virtutum, mirabili fortitudine, usq; ad extremum halitum, perstitisti, qui in tanto laborum & vitæ hujus difficultatum,

tum, pondere, velut ardua palma altius perpetue ſurrexiſti, ita ut nullus caſus, tuum robur infringere potuerit, ora pro me imbelli ſervulo tuo, ut Deus vires, potenſq; mihi porrigat brachium, quo in caſibus erigar, conſerver, & uſque ad finem in ejus ſervitio perſeverem.

VEneror te o Antoni incorruptæ integritatis cedre, nam corpus & anima tua, inter tot mundi varietates, nullam vitiorum, nullam ſentit voluptatum corruptionē, ſed velut æterna Cedrus, ad omnes motus ſtetit impenetrabilis, ſola Dei charitate vulnerata. Rogo te integerrime

rime Antoni ut S. JESV Christi Ecclesiam cum omnibus, omnium statuum ramis, semper facias crescere, & virescere.

MAgnifico te o Antoni o Laurus Victoriæ, qui in tot mundi, carnis, inferni, præliis, tot infidelium, Hæreticorum pugnis, tantas promeruisti coronas, ut nulla tibi creatura, sufficientes triumphos adornare possit, laudo te ac suspicio tuum, æternâ gloria laureatum caput, ora pro me omnipotentem, ut & ego hic in terris fideliter, & constanter, certando tecum coronari merear in cælis.

Præ-

PRædico te o Antoni & in tuo animarum zelo, adoratissimum sentio balsamum, quod in tot desperatorum hominum cordibus potentem diffudit odorē, piis verò tam suavem amoris, & exempli instillavit liquorem, qui usq; nunc in tuorum clientū animas, Dei gratia salubriter prorumpit. Oro te dulcissime Pater, ut omnes christianos Prælatos, tuo zelo excites, ut subditorum suorum animab⁹ salutari verbi, & exempli balsamo mederi valeant, Amen.

BEnedico te o Antoni o vitis fæcunditatis, qui JESV Christi Evangelium, fælicissima propagine tam latis terrarum

rum campis fideliter implantasti, qui S. Verbum, Dei timorem, morum disciplinam, tantâ fæcunditate hominum cordibus germinare laborasti, ut inde uberrimi fructus, Dei honoris, & salutis humanæ, vina profluxerint. Rogo te dulcissime, fac ut Dei gratia, me hinc in omnibus operibus meis ita fæcundet, ut ubere S. fructus, in fine vitæ me, protulisse gaudeam.

ADmiror te Antoni acerbæ mortificationis myrtha qui licet aliis benignus tua tamen membra tot jejunijs & laboribus adeo exhausisti, ut aridæ radici similis, mortuus, inter vivos appareres,

reres, fac ut ego hoc exemplo, membra mea mortificem, ſuper terram, & ſoli Deo illa offeram, in odorem ſuavitatis.

REvereor te Antoni o florida patientiæ ficus, tu in omnibus præſſuris, plagis, & moleſtiis, quibus, aut à juſto aut hominibus, conciſus fuiſti, armatus patientiæ ſcuto, omnia leniter ſupportaſti, nec virtute creſcere deſijſti. Intercede pro Nobis, ut Nos Dei flagella, libenter ſufferamus, & tandem in ejus, miſericordia reſpiremus.

EXtollo te magne Antoni ob rigidiſſimam tuam pæniten-

nitentiam, quâ ſicut malus inciſa punica, te ipſum licet innocentem rigidiſſimis diſciplinis concidiſti, adeò ut ſæpius ægrè tua veſtigia cohærerent, gratias ago tibi quod JESV Chriſti exemplo, tot auſteritates pro nobis peccatoribus ſponte ſubieris, Deum pro nobis ora, ut in hac vita donet nobis peccata, per veram pænitentiam excindere, ne in æternas flammas, miſeros in fine protrahant, Amen.

ORATIO

Dicenda abſolutâ Novennâ.

O Sancte Antoni paratiſſime Auxiliator nunc quâ potui devotione, Deo meo ſervivi te vero in ipſo fideli-

deliter invocavi, nosti optime quot gressus, quot horas tui gratiâ impenderim, quot vota & suspiria, ad te emiserim, omnia, ad ampliorem Dei gloriam, tuum vero cultum, gaudium, & beneplacitum. Et quamvis sæpiùs, (heu) nimis negligenter, tepidè ac indevotè tuo servitio incubuerim, ignosce jam dolenti, qui in restaurationem præbet, tibi denuo suavissimũ JESVM cum omnium suarum cælestium gratiarum plenitudine,

NVnc vero scis dignum esse operarium mercede suâ imple promissum tuum, toties visitavi sanctam Aram, & imaginem tuam, & ultra

sacra-

ſacratiſſimum JESV Chriſti corpus, ibidem ſuſcepi, in ejuſdem virtute, per tuam Crucifixi compaſſionem, & quem in terris, cum omnibus afflictis habuiſti condolorem, quantacunq; fide, & devotione. Te oro, te obteſtor, noli me vacuum dimittere, ſed digna mercede præmunitũ fac, hoc quod tibi faceret fidus amicus, dona id quod tu peteres à tali Patrono, oſtende te jam benignum mihi, quam tibi viſus eſt MARIÆ Filius, pete ab ipſo pro me, nihil non obtinebis, dabit quod promiſit, tu o mitiſſime Pater idem præſta. Quodſi altiſſimi voluntas, in hoc mihi adverſabitur, tu mea opera omniaque

vota,

vota, aliis necessitatibus reservabis, Amen.

OFFICIVM S. P. ANTONII DE PADVA.

SAnctus Antonius Padu. paulo post ante mortem suam cum duobus confratribus in eremo habitans, super proceram Arborem, quæ in speciem coronæ diffusa sex ramis in his tribus cellulis, S. Vir omnium terrenarum rerum oblitus, velut apis sedula, solo rore cælesti ebrius, aliquamdiu victitavit pro nobis Deum orans, & interpellans. Sedul. in Vit. cap: 24.

NOs in 7. Horis Canonicis pro laude ejus constructis, similem Arborem devote adornamus, S. Patrono, qui fuit in oculis Dei & hominum, vita & miraculis.

AR-

ARBOR MAGNA

Lucæ 13. Versu 19.

Benedictio S. P. Antonij.

Quam cuidam afflictæ Matronæ cælitus attulisse dicitur.

Ecce Crucem † Domini fugite partes adversæ, vicit LEO de Tribu Juda radix David Alleluia.

Ad Matutinum.

DOmine labia aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adjutor. &c.

HYMNVS

In ultimus Iberys
Natus decoro stemmate

Puer

Puer viridi robore
Mundi ſagenas tranſudat.
Ad candidos ſtatim fugit
Magni choros Aurelij
Vbi juventæ floſculum
Deo ſupremo conſecrat.
Laudetur alma Trinitas
Magnusq́; Dux Antonius.
Qui nos ſuis ſuffragiis
Defendat à cunctis malis.

Antyphona.

O felix juvenis tu, qui vernantibus annis cæpiſti Domini ferre ſuave jugum.

℣. Ora pro nobis B. Antoni

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMVS

DOmine JESV Chriſte ſalus & vita noſtra qui B. Antonium Confeſſorem tu-

um ipſo juventutis flore traxiſti ad te; concedè nobis famulis tuis, ut ipſius exemplo te vocantem libenter audiamus, & in via ſalutis conſtanter ſequamur. Qui vivis &c.

Ad primam.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNVS.

Dum poſt cruenta prælia,
Quini Minorum milites,
Fidei novellis laureis
Tota virent Iberia,
Tanquam leæna ſitiens,
Ignes ſupernis montibus,
Ad laureatos Martyres,
Et caſtra Franciſci volat.

Laudetur Alma Trinitas, &c.

Antyphona.

Ferte ſtolam primam, mox illa lavabitur agni ſanguine, nam

nam placet hæc purpura sola duci.

℣. Ora pro nobis B. Antoni

℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

OMnipotens & misericors Deus, qui B. Antonium famulum tuum, per Spiritum Sanctum, mirabili fidei propagandæ ardore succendisti, fac ut per eundem corda nostra, tui amore jugiter inardescant. Per Dominum, &c.

Ad Tertiam.

HYMNVS.

Armatus Heros, masculo
Apostolorum Spiritu,
Festinat in ferocibus
Plagis, favillas spargere.

Sed ſummus Aſtrorum Regens,
Qui rite cunctis providet,
Hunc inditum belli ducem
Servavit Electis ſuis.

Laudetur Alma Trinitas, &c.

Antyphona.

O Martyr deſiderio, tam prodigus unquam nemo fuit vitæ; vivere neſcit amor.

℣. Ora pro nobis B. Antoni
℟. Vt mundana gaudia conſtanter repudiemus.

OREMVS

DEus pugnantium robur, & fragilium fortitudo, cui B. Antonius uberiore placuit miniſterio, concede nobis ejus interceſſione ita certare in terris, ut coronari cum ipſo mereamur in cælis per Dominum, &c.

Ad

Ad Sextam.

Deus in adjutor. &c.

HYMNVS.

O quam sonora, protinus
Verbi sacri buccina,
Metu salubri languidos;
Pulsavit orbis incolas.
Tu vix arenæ in æquore,
Quot corda præco strenuus,
Culpis relictis, ad sacra
Vexilla IESV compulit,

Laudetur Alma Trinitas, &c.

Antyphona.

Ecce Gedeon novus jugulatis hostibus, omnes. Militiâ Christi suavia bella docet.

℣. Ora pro nobis B. Antoni

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS

COncede omnipotens Deus, ut qui B. Antonium

Seraphicum prædicatorem, habuimus in terris, paratum Intercessorem apud te sentiamus in cælis. Per eundem &c.

Ad Nonam.

Deus in adjutor. &c.

HYMNVS.

Diras peremit hæreses
Zelo, fide, miraculis,
Odia, Tyrannos, Marmora,
Fregit potenti Virgula.
In omnibus Magnalibus,
Micantibus virtutibus,
Venisse in orbem cælicum,
Cuncti putabant Angelum,
Laudetur Alma Trinitas, &c.

Antyphona.

O lingua es benedicta tuum decus omnia vincit
Quot non fecisti corda sonare Deum.

℣. Ora pro nobis B. Antoni

℟. Vt

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS

DEvs qui B. Antonium, in sedandis inimicorum furoribus, insigni prærogativâ decorasti, ejus gloriosis meritis concede, tu Ecclesia, cum universo populo christiano, in pace & quiete, tuo servitio felicius insistere mereatur, Per Dominum, &c.

Ad Vesperas.

Deus in adjutor. &c.

HYMNVS

Tandem laborum pondere,
Ætas pusilla vincitur,
Virtutis illa debiles
Anni gravantur copiâ
Ergo soluto corpore
Vt sol coruscans Spiritus

Ad ter beata præmia
Deo vocante tollitur.

Laudetur Alma Trinitas, &c.

Antyphona.

Salve lux Paduæ, tuba Christi stella minorum.
Juratos servos protege flecte fove.

℣. Ora pro nobis B. Antoni
℟. Vt felici morte transeamus.

OREMVS

DEvs in Sanctis tuis mirabilis, qui Beatum Antonium, hic in terris eximiâ gratiâ, & in cælis excellenti gloria sublimasti, fac ut ejus auxiliis, hic & abstrahamur à noxis, & ad salutaria dirigamur, per Dominum, &c

Ad

Ad Completorium.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. &c.

HYMNVS.

Inter ſupremos jubilat
Patres, Prophetas, Martyres,
Sed lingua virtus gloria
Virent in orbe jugiter.
Suis piis clientibus
Viva fide ſpirantibus
Et juſta poſtulantibus,
Adeſt benigna dextera.

Laudetur Alma Trinitas, &c.

Antyphona.

Juſtus in æternum velut ardua palma virebit

℣. Ora pro nobis B. Antoni

℟. Vt æterna gaudia conſequamur.

OREMVS.

DOmine IESV, qui B. Antonio fideli tuo ſervo,

quidquid, unquam à te rogavit, liberaliter ſemper conceſſiſti, per ipſum te humiliter deprecamur, ut nos ab omnibus culpis abſolutos, in tua gratia uſq; ad finem perſeverare, & in cælis ſine fine congaudere dones, per Dominum, &c.

Commendatio.

O IESV Deus Maxime,
Antoni Vir ſanctiſſime,
Amore veſtri omnia
Proceſſerunt eloquia,
Vos facite pro munere,
Æterna bona capere.

LITANIÆ S. ANTONII DE PADVA

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miſ.
S. Trinitas unus Deus, miſ.
SS. Angeli Miniſtri Dei, orate pro nobis.
S. Antoni Paduane. Ora pro nobis.
Imitator Salvatoris, Ora.
Columna Eccleſiæ: Ora.

Armarium ſcripturarum,
Seraphice Athleta,
Prædicator Apoſtolice,
Imago Sanctitatis,
Arca omnium virtutum,
Lucerna ardens & lucens,
Doctor veritatis,
Malleus Hæreticorum,
Flagellum dæmonum,
Carnis & mundi triumphator,
Extirpator criminum,
Conſolator afflictorum.
Reſtitutor perditorum,
Paratiſſime interceſſor,
Glorioſiſſime Patrone,
Dulciſſime Pater & protector,

Ora pro nobis.

Propitius eſto. Parce nobis Domine.
Propitius eſto. Exaudi nos Domine.

Pro-

Propitius eſto. Miſerere nob.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab inſidiis diaboli.
A peſte fame & bello,
A morte perpetua,
Per merita S. Antonij,
Per ardentiſſimam ejus charitatem,
Per ſpiritum ejus propheticum,
Per ejus zelum convertendi peccatores,
Per ejus deſiderium ardentiſſimũ Martyrii,
Per jugem ejus votorum obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis obſervãtiã,
Per indefeſſum ejus laborem,

Libera nos Domine.

Per

Per miraculorum ejus prodigiosam veritatem, Libera nos Domine.
In die judicij, Te rogamus audi nos.
Peccatores
Vt diuini amoris in nobis ignem accendas.
Vt intercessionis & meritorum S. Antonii nos participes reddas.
Vt patriam hanc per Sanctum Antonium conserves.
Vt omnibus ad S. Antonium confugientibus mentis & corporis salutem concedere digneris.
Vt fructus terræ, & omnia vitæ necessaria, S. Antonio rogante conserves.

Te rogamus audi nos.

Vt

Vt ipſum nobis in omnibus greſſibus & itineribus maxime, collateralem tribuas: Te rogamus audi nos.

Vt eundem pro nobis ſupplicantem benignè reſpicias.

Vt nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine, Agnus Dei, &c.

Chriſte audi nos,

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleyſon.

Pater noſter, &c.

OREMVS.

SVbveniat quæſumus Domine B. Antonij devota & jugis depræcatio, quæ & in præſenti vita, nos cuſtodiat,

&

& in futuro donet Beata gaudia, per Dominum, &c.

Variæ à D. IESV Christo efflagitandæ gratiæ secundum Varios, qui illi conveniunt. Titulos.

Quia igitur varij sunt Tituli, qui Christo Domino conveniunt dulce erit nunc sub uno, jam sub altero, illum accedere, & varias, titulis competentes poscere gratias, exempli causâ.

Tanquam Patri igitur dicet.

1. O Domine JESV Christe amabilissime Pater, animæ meæ, toto corde deprecor remissionem modici amoris, timoris, reverentiæ, & obedientiæ, quam tibi hucusq; exhibui.

2. Præcor gratiam amandi

di te in posterum, amore & timore filiali, & reverentiali, cum obedientia tuis divinis obtemperandi præceptis, & sanctis inspirationib⁹, & mei statûs obligationibus.

3. Præcor gratiam tuarum imitandarum virtutum.

4. Præcor gratiam amandi te inposterum, amore & timore filiali, & gratiam perfectè resignandi, me in omnib⁹ in æternum tuo beneplacito.

Sicuti advocato.

1. Benignissimè Domine JESV Christe! qui per infinitam tuam misericordiam, apud æternum Patrem, te, meum advocatum constituere dignatus es, intimo corde tibi

bi ſupplico, ut apud eundem perfectam delictorum meorũ contritionem, & remiſſionem impetres.

2. Gratiam perfectæ emendationis, & ſanctæ conſervationis apud divinam majeſtatem.

3. Perſeverantiam, in tua divina perſeverandi gratia, & in ſanctis continuandis operibus. Finalem animæ meæ ſalutem.

Vti Magiſtro.

1. Dulciſſime Domine JESV Chriſte, unice verè animæ meæ Magiſter: per tuæ pietatis viſcera obſecro te, ut doceas me in omnibus, ſemper tuam ſanctiſſimam voluntatẽ face-

facere, & directè per tuorum ſanctorum mandatorum, & mearum obligationum gradi ri viam.

2. Doceas me fugere, & abominari omne delictum, cunctaſq; amare, & amplecti virtutes, atque in iis quotidie magis, ac magis proficere, & omnem à me eliminare negligentiam, & teporem.

3. Vt inſtruas me optime, & devotiſſime fundere preces, melius perfectiusq; ſacræ deſerviendi mortificationi, omneſq; patienter ſuffere tentationes atq; adverſitates.

Tanquam Iudici.

Obnixe peto, o miſericordiſſime Domine JESV Chriſte juſtiſ-

justissime Iudex, gratiam probè, ac sincerè diiudicandi me ipsum, omnesq́; meas in præsenti vita circa aliquorũ meorum peccatorum, defectuũq́; palpationem, discutiendi actiones, sed cum pura, & vera contritione & satisfactione illa confitear, ne post, à te perpetuæ adiudicer morti.

Præcor quoq́; in hac vita mea castigari peccata, potius, quam in altera reservari castiganda.

Sicuti Medico.

Obsecro Domine JESV, clementissime animæ meæ medice, per tuæ acerbissimæ passionis merita cuncta, ut animæ meæ sanes vulnera, omnes-

mnesq́; meas cures infirmitates, intellectum meum illumines, voluntatem, ad tuum & virtutem amorem inflammes, memoriam à Phantasmatibus, & pravis cogitationibus expurges.

Libera me Domine à pravis meis habitibus, & inordinatis passionibus, & præcipuè ab illis ad quas magis inclinatus sum, quibusq́; fortius, impugnor & affligor.

Præserva me Domine à vitiorum corruptione & putredine, cohibe tuâ omnipotenti gratiâ impetum meæ pravæ concupiscentiæ, & sub rationis, tuæq́; divinæ legis imperio contine ne prævalere contra Spiritum possit.

Tanquam Pastori.

Rogo te Pie Domine JESV, vigilantissimè animæ meæ Pastor, intimo cordis affectu, ut animam meam tuorum donorum, & cælestium gratiarum pascas abundantiâ.

Effice supplico, ut spiritualium rerum, verbi Dei, frequentationis sacramẽtorum, maximè SS. Sacramenti Altaris, & operum misericordiæ, experiar virtutem, & efficaciam, obtestor præterea in me omnium terrenarum & sensualium voluptatum, & vanitatis mundanæ odium.

Vt me contra omnes dæmonis tuearis insidias, donãdo fortitudinem, vincendi omnes

mnes

mnes, præcipuè mortis tentationes.

Vti Glorificatori.

Præcor te gloriosissime Domine JESV Christe, unice animæ, sanctificator, & glorificator, ut per merita virtutum, tui pretiosi sanguinis mihi efficacem gratiam dones, cunctis vitæ meæ diebus, tibi fideliter serviendi, & superandi viriliter, omnes difficultates, in via divini servitij tui occursuras, quo tandem tecum cælestis, Amen.

Viri cordati audite

quia

Novissima hora est.

Si IESVM non dilexisti
Nec MARIÆ servivisti,

Nec

Nec Patronum quæsiſti
Tibi in ſubſidium:

Quis orabit pro delicto,
Quis ſpondebit pro convicto,
Quis judicio tam ſtricto
Fiet in præſidium.

JESVS, MARIA, ANTONIVS,

Veræ ſunt deliciæ.